


124.

RERUM
MEMORABILIUM
IN REGNO SINÆ
GESTARUM.



Litteræ annuæ
Societatis IESV.

1625.










JESUITS
5/-53

"... an importance of these early missionary records cannot be overrated."

P

277 / 5

869




RERVM MEMORABILIVM IN REGNO SINÆ GESTARVM

Litteræ annuæ Societatis IESV.

Par N. Trigault.

Ad Reu. Admodum in Christo Patrem P. MVTIVM VITELLESCHI Præpositum Generalem eiusdem Societatis.



ANTVERPIÆ,
Ex Officina HIERONYMI VERDVSSII.
M. DC. XXV.

LITTERÆ ANNVÆ

SOCIETATIS IESV

E REGNO SINARVM

ANNI M. DC. XX.

Ad Reuerendum Patrem nostrum MVTIVM VITELLESCHI eiusdem Societatis Præpositum Generalem.

CAPVT I.

De publico Regni statu.

EX quo Sinensis res ab annis proximè superioribus in peius labi cœpit, quotidianis infortuniis eo sensim deducitur, vt breui malum immedicabile perniciem extremaque omnia minitetur. Id quo vergat, arcanis Dei consilijs reseruetur; verùm quod apparet, neglecti numinis, ac luminis Christiani pœ-

na exigitur: faxit Deus in ſalutem. nam eo ipſo anno & prope momento pax illa non annorum, ſed ſæculorum cum Fidei Chriſtianæ Miniſtris cœpit exulare. Quam rem non deſunt in Ethnicis ipſis qui animaduertant; ſed nondum fuit, qui publico libello (quod fortè aliquando fiet(ipſum Regem admoneret, quod ſi fiat, eueniet fortaſſe diuino nutu, magna vt rerum commutatio in melius ſumat exordium. Sed præteritorum à nobis Hiſtoria non futurorum auguria exiguntur.

Annus hic tres Reges vidit, duos inuidit Vanliæ magnus ille annorum octo ſupra quadraginta continuus Imperator, diem tandem inuenit extremum. Is à primo ætatis ſuæ decennio parenti ſuffectus matris conſilio quæ illius ſupplebat annos non malè regnum moderatus multa promittebat: verum vna cum indolis herbâ vitiorum lolia ſuccreuerunt: dubitare vt iure poſſis virtutes, an vitia vtrum alteri præferenda. Multa de eo annales noſtri ſparſim per annos propè quadraginta commemorarunt: quę non iudi-

co repetenda. Cum igitur Imperij ſui non breue curriculum maximam partem fortunatus decurriſſet, extremam aliquot annorum periodum non vnâ clade fędauit, & quod à Maioribus pacatum acceperat; poſteris ſuis ſi nondum euerſum; reliquit tamen perturbatum. Has clades varia prodigia ſuperioribus annis commemorata portenderunt: cum paulò ante ſapientiſsimę parentis maturus quidem, ſed Regi regnoq; luctuoſus obitus præceſsiſſet. Sequitur deinde Tartarici belli calamitas, cuius ſeriem ſuo loco inſeram, poſteà quàm me duorum Regum funeribus expediero, & tertium in ſolio collocaro.

Minus affecit filium parentis vetulæ deſiderium, quàm coniugis, quæ maritum hoc ipſo anno non longo interuallo præceſsit. Sinarum Reges tametſi multiplex habeant gynæceum, & earum etiam quæ Reginæ titulo cohoneſtantur aliquot ordines (quos commemorare non eſt huius loci) habent nihilominus vnam legitimam & quæ ſola Hoaneheu, ac ſi dicas Imperatrix appellatur. ea tametſi li-

beros marito ſuo nullos pepererit ſola tamen prudentiæ, ac virtutis dote ita Imperatori grata ſemper fuit; vt cæteros omnes huic vni poſthabuerit, eiuſque conſilia in rebus grauiſsimis vteretur; nec monita ſubinde ingeſta reſpueret. Illius mortem tanto doloris ſenſu excepit, vt inde primam ægritudinis cauſam manaſſe crediderint: & hunc quidem doloris ſenſum lenire conatus eſt pompâ funebri inſolito apparatu decretiſque poſt mortem honoribus, ſed oleum ingeſsit flammę nõ aquam: tanti eſt animũ ab inordinatis affectibus temperare, quorũ lues in corpus effuſa redundat vt plurimum. Eam pompam funebrẽ prętermitto quod parum differat ab ea quam parenti ſuæ procurauit; cuius narratio, iam biennium eſt, cum annalibus noſtris nauigauit.

Ab ipſa igitur quinta luna, quæ in Iunium menſem extremum incidit (eo enim tempore viuere deſiit Imperatrix) præ nimio dolore Imperator in grauem morbũ incidit, à quo liberari non potuit, nec è lectulo, in quem deciderat aſſurgere: vexabatur dyſenteriâ continuâ, ſtomachi dolori-

loribus, pedum inflatione, variisque aliis ſymptomatibus; quibus ad extrema deductus, non ſemel occaſionem rumori dedit, qui de illius morte nimis tempeſtiuus erupit. Ex eo rumore ortus tumultus infimæ plebeculæ, ex eo quod æreæ monetę, quę ſola eſt apud Sinas, valor decreſceret. Morte quippe Regis oboli cum noua inſcriptione ſucceſſoris cuduntur, qui veteres non lege, ſed conſuetudine paulatim ex trudunt. Is tumultus paucorum verberatione, & euulgatâ Regis vitâ facilè ſedatus eſt.

Ingraueſcebat indies malum, quo permotus Colaum ſupremum huius Regni Magiſtratum ad ſe euocat. Is tum erat vnicus cognomine Fam: eum Rex de ſua ægritudine monet, cuius aſperitate prohiberetur ab expediendis regni negotiis. Interrogauit quo loco bellum Tartaricũ verſaretur: non contemnendum dixit: & in eum finem inter militarem Senatum, ac Philoſophicum concordiam commendauit: cuius defectu: maxima nuper clades illius belli fortunam ad hoſtes inclinarat. Colaus ad hæc paucis reſpondit, multa-

que intulit quę reſcriptum regium ſine vl-
teriore morâ poſtularent. Verum ille ſoli-
tâ tarditate omnia diſtulit in valetudinis
breui recuperandæ moram. Nondum e-
nim ſpem vitę, quam tardiſsimè mortales
abiiciunt, planè depoſuerat.

Bimeſtre ſpatium ægritudinis incre-
mentis, decrementiſq; conſumitur. Sep-
tima demum luna cum iam exhauſtis vi-
ribus de vitâ deſperaret. Hæredem reg-
ni cum fratribus omnino tribus ad ſe ac-
cerſit eoſq; in hanc ſententiam dicitur al-
locutus. Actum eſt, vt video de vita, de ,,
que Imperio; quod vt parui faciatis ve- ,,
lim: quippe quod ſua mole onus ſit, vt ,,
eſt honos: mille metus, moleſtias, cu- ,,
ras ſuis commodis interponit. Noli tu ,,
(ad Principem conuerſus) qui mihi ſuf- ,,
ficiendus es, vitia mea æmulari, quæ ,,
quanta fuerint tardè agnoſco: cura vt ,,
tuâ virtute reſarcias, quæ vitiis meis ,,
diſsipaui Tum cæteros allocutus cõcor-
diam enixè commendauit, quibus aliiſ-
que dictis extremum vale faciens à ſe di-
miſit.

Die inſequenti Colaum ad ſe denuo,

&

& ſupremos ſex Tribunalium Præſides Xam Xu vocant ſimul omnes accerſit. iis cum expoſuiſſet, ſe iam de ſalute, deque vitâ ſpem depoſuiſſe, Tartarici belli negotia enixè commendauit. Cui cum quæſturæ Præſes reſpondiſſet, ſe magnam argenti vim è ſuo Tribunali, belli neruum, in Prouinciam amandaſſe: & ſuggereret, vti Rex è proprio ærario ſummam augeret, nondum eo tempore ab auaritia liber, ita tulit impotenter monitorem, vt illico à ſe omnes amandarit. Ex eo tempore, ne Principem quidem in conſpectum admiſit, cauſatus importunas ſibi eſſe huiuſmodi viſitationes, Eunuchos dumtaxat, aut pellices nominatim euocabat, & cum iis imminentis mortis memoriam metumque fallebat. Nec diu dilata eſt. poſtero enim die poſtquam ſummos Magiſtratus ſubſtomacabundus à ſuo conſpectu eiecerat, horâ poſt meridiem quartâ cum maximis doloribus cõflictatus expirauit. Omnium Sinenſium Regum qui eum per tot lapſa retro ſæcula præceſſerunt, omnino miſerrimus hoc ſolo nomine, quod non cognouerit tempus viſitationis ſuæ,

nec Euangelicam lucem post tot sæculorum tenebras aspexerit: tametsi ferè illius præcones multis beneficiis affecerit, & solum in extrema ætate importunis aduersarij libellis, qui cum Eunuchis largitione corruptis conspirabat, nostros propè per vim dimiserit. Cuius, etsi iam sit salus desperata: fortasse tamen ideo pœnas inuenerit mitiores: si quid est quod in æterna tormentorum acerbitate hoc nomine possit appellari.

Non videtur indignum annalibus tanti Principis testamentum, ideo maximè, quod hactenus nihil simile scribere potuimus, ex Imperij diuturnitate, quæ annis aliquot Societatis ingressum in eius fines anteuerterit. Testamenti porro regij cōficiendi ratio in hunc ferè modum se habet. Desperata iam salute regia Colai (si plures sunt, vt esse solent) vnà cum Eunuchorum Principe, summo Palatij Præfecto Su li Kien vocant, Regem adeunt ab eoque voluntatem eius extremam, testamentique summam expiscantur. Tum ad Principem clam adeunt, & cum eo conferunt omnia; ne quid, præter eius volun-

tatem qui proximè regnaturus eſt, ſanciatur. Ex vtriuſq; ſententiâ concepta formula Regi offertur approbanda. Defertur deinde ad Regij Collegij Senatores Han lin yven vocant; quorum intereſt omnia quæ regia ſunt nobili ſtylo cohoneſtare. Item in conſpectu Regis ſigillo munitur, & in Archiuio Regij Collegij aſſeruatur, quamdiu Regi vita ſuppetit. Eo extincto, defertur ad Rituum Tribunal, cuius eſt illud toto regno euulgare, & ad amuſsim exequi. Huius teſtamenti formulam ſubiicio è Sinenſi ſermone fideliſsimè tranſcriptam: ſic ſe habet inſcriptio.

Imperatoris noſtri Vanliæ teſtamentum qui Colai obtemperans Imperium ſuum ad poſteros tranſmiſit.

EGo à puero huius Monarchiæ ,,
habenas moderandas accepi à ,,
maioribus mihi traditas annos octo ,,
ſupra quadraginta. Imperium tenui ſa- ,,
tis longâ periodo, nihil vt habeam ,,
quod iuſtè querar. A prima inaugura- ,,
tione mox animum adieci ad optimā ,,

regni

„ regni mei gubernationem, maiores
„ meos à quibus illud acceperam imita-
„ tus; & ne quicquam deeſſet exactè
„ procurabam. Verum poſtea variis
„ morbis impeditus, per annos pluri-
„ mos neglexi; per me ipſe ſacrificia
„ cæli, terræq; procurare: quin etiam
„ debitos maioribus meis ritus itidem
„ prætermiſi. Rariſsimè ad regni deli-
„ berationes in ſolium prodij: libellos
„ ad me tranſmiſſos ſine reſcripto deti-
„ nui: Regni Magiſtratus nominare ne-
„ glexi: & modo plurimos deeſſe non
„ ignoro: Auri argentique fodinas no-
„ uas aperui: auxi vectigalia, pacem pu-
„ blicam bellicis tumultibus perturbaui;
„ ex quo populus in anguſtias redigitur,
„ & vicinorum regulorum diſcordias
„ procuraui. Diurnis æquè ac nocturnis
„ horis hæc omnia cum animo reuol-
„ uens, vix capio animi dolorem præte-
„ rita deteſtantis. Ex eo iam tandem
„ concipiebam meliora, meque ipſum
„ vnà cum vniuerſo populo renouare
„ meditabar: ſed in præſentem ægritu-
„ dinem incidi, cuius quotidiana incre-
men-

menta credere me faciunt ſalutem vitamq́ue deploratam. Itaque hoc mihi ſolum ſupereſt, vt ſperem filios ac nepotes errata mea vitâ meliore correcturos.

Tu itaque Regni Hæres, cum neque deſit ingenium ac indoles, neque hactenus intermiſeris pietatis, obedientiæ, cæterarumque virtutum exercitationem, macte animo, tua eſt Imperij Sinenſis hæreditas. Vide, vt primò vitam tuam, moreſque componas: incumbe totus in optimam Regni gubernationem, ama probos: nec reſpue conſilia aut moneri te pigeat; vt poſsis ingentem huius Imperij molem ſuſtinere, filium tuum, ac nepotē ſtudiis litterariis ſedulo imbui curabis. Fratres tuos tres ama. deſigna illis commodas ſedes, & de lautis ſtipendiis, honeſtisq́; honorum titulis cuique prouide. Cura, vt ſubditi tui ſummi iuxtà & infimi cōncordiam ament & inter ſe pacis vinculo vniantur. De Colais cæteriſque ſupremis Magiſtratibus extemplo cogita. ego enim

„ duas ſolitis temporibus nominatio-
„ nes omiſi. Neque excidat regiorum
„ Admonitorum electio. Hæc tibi ex-
„ templo procuranda commendo.
„ Noua vectigalia pontium, agro-
„ rum, ſerici, pannorum, vaſorum ficti-
„ lium & cætera, quæ ego recens inue-
„ xi, omnino detrahantur. Omnium
„ Tribunalium cauſas per delectos Iu-
„ dices excuti cura, & innocentes libe-
„ ra. In Tartariæ finibus militi deeſt
„ commeatus. prouidebis ex ærario re-
„ gio, (hoc proximum dicitur Princeps
„ parentis teſtamento addidiſſe) mili-
„ tum ducumque, qui bello nuperrimè
„ ſunt extincti, curam habe, eorum fu-
„ nus maneſque nouis honorum titulis
„ cohoneſta; eorum familias ſtipendio
„ regio adiuua. Hæc tibi ſummatim ex-
„ equenda committo.
„ Circa funus meum regni ritus ob-
„ ſeruentur verum ſolitos funerum
„ menſes (qui ſunt ſeptem & viginti)
„ gratum erit ſi in totidem dies dum-
„ taxat commutentur, Magiſtratus
„ omnes, Proreges, Viſitatores, belli
du-

Duces, quiſque in ſua regione neceſſarius eſt; ne permittas eos à ſuis Prouinciis ac ſtationibus funeris mei cauſa euocari. Satis erit, ſi in ſua quiſque ditione, cum de tranſitu meo nuntium acceperit, toto triduo funus meum curet iis ritibus, qui ad ſarcophagum regium procurantur. Odores porro ſuffituſque in luctu regio deferri ſolitos ex eorum nomine Magiſtratus inferiores è Prouinciis afferant. Magiſtratus autem, qui arcibus, munitionibus, vrbibus, oppidiſque præſunt; omnino per ſe ipſi veniant. Externi quoque regni vectigales ab eodem officio excuſentur. Hanc extremam voluntatem meam volo toto regno euulgari, & ad omnium notitiam peruenire.

Rege mortuo, Magiſtratus qui frequentes Porkini aderant ad Principem conueniunt, vel eũ ſalutaturi, vel regium funus ex eius voluntate curaturi. Demandata eſt funeris procuratio ex more Rituum Tribunali; ſed multa Princeps ipſe decurtauit, quæ

fieri

fieri vel omitti liberum putant. Horum rituum ſimilitudo, quia faſtidium pareret omittenda: non item ea quæ breuiſsimo tempore Rex nouus magna cum omniũ approbatione perfecit, & quidem paucis diebus priuſquam regni hæreditatem adiret. In bellum Tartarorũ ex ærario regio duos argenti milliones erogauit, eo pondere, vt totidem aureos noſtrates exæquet. Mox telonia omnia, & vectigalia quæ cupidus parens inuexerat abrogauit, & in hanc diem vniuerſi abrogata lætantur. Fecit etiam curialium mulierum gregi abeundi facultatem, nam quotquot curialibus miniſteriis deputantur, viuente Rege abire prohibentur. Et quamuis Vanliæ diutiſsimè regnauerat, & annis ſingulis nouas admitti mos eſt, ingens erat earum turba quæ ſpecioſo nomine longam tulerant ſeruitutem. Eas vendi mos eſt, quæ propinquis orbatæ ſunt, aut vitæ ſuſtinendæ mediis deſtituuntur, ſed vultu tecto & pretio viliore. Nec emptor videt de-

cre-

crepitam ne & ſeruitiis inutilem comparet, ſed in cuiuſque fortuna contractus fœlicitas reponitur. Ex ea pecunia rituum Magiſtratus noua ſeruitia coemunt non meliore fortunâ ſeruitutis. Eunuchos quamplurimos parentis impotentia in vincula detruſos dimitti voluit. Colaos alios duos nominauit, & plurimorum vbique ſubſelliorum vacuas ſedes nouis Magiſtratibus cohoneſtauit. Hæc ille priuſquam ſolitis ritibus inauguraretur.

Magiſtratus autem, ne quid in interregno rerum nouarum erumperet, ſedecim regiæ portas deſtinatis vigiliis munierunt, quingentis militibus in ſingulas diſtributis, totidem excubitoribus palatij portas munierunt; prętet alios magno numero quos propinqui regiarum pellicum aut priuati ſubmiſerunt. Hæc excubitorum ratio ad noui Regis arbitrium prorogatur; ſed ferè dum in ſolio collocetur obſeruari conſueuit, quod nunc factum eſt, hos enim præter ordinem excubitores Rex in ſolio collocatus do-

natos amandauit.

Hæredis in ſolium euehendi nullum eſt legibus ſtatutum tempus id à Principis voluntate pendet. Magiſtratuū eſt inſtare vt ſibi debitum & legibus & voluntate parentis dignitatem quàm primùm adeat. Id negotia poſtulare, id ad quietem publicam pertinere in more poſitum eſt, vt Princeps ex mera vrbanitate tergiuerſetur, indignitatem ſuam conceptumq́ue de parentis exitu dolorem aliquoties cauſatus. In hoc euentu cùm iam tertio Magiſtratus inſtitiſſent, acquieuit. Mandat igitur rituum Tribunali vt per Aſtrologos quorum eſt nō ignobile Collegium fortunatum diem dicat. Hi ſupputatâ Principis natiuitate, alijſq́ue iudiciariæ ſuæ ſomniis primum nouæ lunæ diem indixerunt (is tum incidit in decimumoctauum menſis Auguſti diem) quin etiam horam præſcribi mos eſt: ea fuit meridies Ad eam diem, horamq́ue conuocati Magiſtratus omnes conuenêre, ij tunc Pekini frequentes aderant, ex eo quòd ad natalem Regi gratulandum ex more concurrerant. Et quamuis in octauam lunam

nata-

natalis eius incidebat, qui ad gratulandum veniebant deploraturi, conuenêre: iidemq; regiæ inaugurationi interfuêre. Ea fit in vastissima palatij aula; in cuius capite (quod Septemtrionem spectat) solium ita erigitur, vt Rex in eo sedens in Meridiem vultum obuertat: id nouem gradibus sublime assurgit, qui gradus nouem cælos denotant, aut (vt alij volunt) nouem Sinensium Magistratuum ordines, quibus regia dignitas altiùs eminet, ac dominatur. Ad Regis dexteram stat Sinensis nobilitas, propinqui scilicet Regij sanguinis, aut potiùs affines ex ea parte quę muliebrem sexum spectat; nam Regij sanguinis viri omnes in regia commorari prohibentur, & aliò in proprias quisq; sedes emittitur. His accedunt eorum posteri, qui cum Hum vuo Duces Sinense regnum olim à Tartarorum Tyrannide liberarunt. Eorum sunt varij ordines, qui soli apud Sinas dignitatem suam ad posteros ex aliarum Gentium more transmittunt. Ad læuam Regis omnis Magistratuum Maiestas adstabat: Colai primum locum, secundum sex Tribunalium Præ-

ſides (Xam Xu vocant) obtinebant aliorum ordinem texere longum foret, & vt arbitror hoc loco inutile. Ex iis Magiſtratibus vnus rituum Præfectus Regi propior adſtabat , & elatâ voce corporis inclinationes, genuflexiones , inſignium oſtentationes indicebat..Ritus eſt vnus ſatis inſolens : iubentur ſubinde dextrum, aliàs lęuum pedem erigere : quo ritu exſultantis animi ſignum, & velut tripudium deſignare perhibentur.

Huius porrò inaugurationis initium ſumitur in candida lugentium è Sinenſi more, veſte. Rex enim eo habitu cælo primùm , ac terrę, deinde parentũ manibus litat. His ritibus expletis, Imperij veſtẽ induitur, ac denuò alio ritu cęlo, terrę parentumq; manibus facit. Tum demum in ſolium euehitur, cui ad ornatum nihil deeſt , quod ſpecioſum ac nobile eſſe creditur . Ex aduerſo regij throni menſa eſt figuræ rotundæ, in menſa liber , in eo priuilegia, immunitates, & indulta Regum continetur.

Hunc librum qui rituum præfectura fungitur, è menſa ſublatum ad Regij Col-

legij

legij Academicos(Hanlin vocant) exportat, ij tradunt rituum Tribunalis Præsidi, is mensæ imponit, & elatâ voce perlegit: vsurpatis ante & post variis ritibus ipsi libro velut Regi exhibitis. Perlectus liber summo Regiæ Visitatori traditur, quem cæteri toto regno Visitatores, immo & Proreges vnum superiorem agnoscunt. Eius est huius, & Regij testamenti exemplaria in omnes prouincias distrahere, quæ Proreges & Visitatores exequenda curant, ac deinde regiæ Visitatorem publicis instrumentis monent, ea omnia iam in praxim esse redacta.

Huius libri satis erit summam seligere, multis prætermissis, quæ ab aliis nationibus non facilè intelliguntur, ideo quòd à priuatis moribus huius regni pendeant.

Initio Rex nouus ad hanc dignitatem indignitatem suam causatus, auxilium petit à suis clientibus, spondens ipse quod in se erit ad optimam regni gubernationem serio animum addicturum; hoc prooëmio perfunctus, regno suo nomen

imponit. Ea conſuetudo non longè abeſt ab eo ritu, quo Summi Pontifices in ſua inauguratione nomen plerumque permutant. Hoc differt, quod hoc regni ſit nomen potius quàm Regis, qui alioqui proprium nomen retinet: tametſi hoc nomine vulgo appelletur. Inurbanum enim eſt apud Sinas proprio nomine quemquam compellare, quo ſolo vti poteſt modeſtię causâ, qui hoc nomine appellatur. Hoc nomen gymnaſij Regij collegæ non ſine accurato ſtudio ſeligunt, & duabus litteris pingunt: id attendentes, vt ominatum ſit; & velut emblema futuræ proſperitatis. Id vbi ſelectum eſt à rituum Tribunali confirmari oportet, & exinde, Rex eo nomine quãdiu viuit appellatur, & anni qui à Regis inauguratione numerari ſolent hoc nomine inſcribuntur. Huius Regis nomen, aut Regni ſi mauis Tai cham electum eſt, quod magnam effloreſcentiam ſonat. Et ſanè; ſi quid eſſe poteſt omen in nomine, florem vocari oportuit, qui repentè emarcuit, vt mox videbimus. Poſt hæc parentis extremam voluntatem ſuâ auctoritate confirmat.

Ad hæc de dimittendis reis exhauriendiſ-que cuſtodiis publicam pronuciat indulgentiam. Excipiuntur atrociora quædam crimina, quæ iam debitam ſuæ grauitati mortis ſententiam accepêre: quæ ſi nondum lata eſt, etiam horum criminũ rei à commutata leuioris pœnę gratiâ non excluduntur; ſed citra mortem morti obnoxij plectuntur. Huiuſmodi crimina hęc ferè ſunt, perduellionis, adulterati ſigilli regij, largitionis Eunuchis. Regum cuſtodibus factæ, ſecretarum cum externis Gentibus machinationum, prædationum, ærarij regij expilationis, falſarum ſectarum euulgationis. Reſtitui poſteà voluit, & in priſtinum reuocari Senatores omnes à parente iniuſtè ſpoliatos, quod regiæ aliquando cupiditati & impotentiæ liberius obſtitiſſent. Poſtmodum viduas pupilloſque militum qui nuperrimo cũ Tartaris congreſſu perierant, ſumptu publico ali voluit: quin etiam æs alienum quo ex varijs contractibus multi erario regio obligati erãt, cõdonauit. Alia deniq; multa eo in libro legebantur quæ

in commoda publica priuataque redundabant. Hoc ritu expleto inaugurationi finis imponitur.

Rex porrò de omnibus bene mereri incipiens, eodem pede pergebat ita feliciter, vt breui Sinensis regni optimam administrationem in integrum reuocaturus videretur. Nam post tertium quoque diem in publicum prodibat Magistratuum suorum consilia, quin & monita, facilis admittebat & omnibus acceptus magnam de se portendebat expectationem. Parenti suo titulum ex more deligi iussit. Solent enim Sinæ viros illustres & multò magis Reges suos vitâ functos honorificis nominibus cohonestare, quibus quâ maximè virtute excelluerint demonstratur. Hoc munus ad rituum Tribunal spectat, à quo Regij Collegæ & Colai simul omnes in deliberationem euocantur. Huic Regi Vanliæ nuper vitâ functo. Hien cum hoam ti nomen inditumquasidicat sapientissimus, prudentissimus & famâ celeberrimus Imperator, & hoc nomine in posterum in annalibus, & quoties opus fuerit, appellatur.

Præ-

Præter inaugurationis ritus, alij ſuper-erant pro temporis oportunitate componendi: Huiuſmodi erant varia ſacrificia, cœlo ac terræ in templis extra palatium litanda: ijs omiſſis, vnicum nouitate ſuâ, myſterioque calamo dignum hîc inſeram. Eſt fanum quoddam (Xe cie tam vocant) Agriculturæ conſecratum. Iuxta fanum ager eſt, cuius partem Rex propriis manibus arare debet, & iacto ſemine meſsi aptare, circumſtant miniſtri cum ſuo quiſque munere ruſticisque armis Regem adiuuantes. Ubi meſsis ſuo tempore maturuit, Regi offertur velut præmium laboris. Eum ritum ideo à maioribus indictum ferunt, vt Rex ipſe proprio experimento diſcat colonorum labores, diſcatque compati, & eos immunitis in agrorum ſterilitate vectigalibus ſubleuare; diſcat etiam in ſumptu parcimoniam; cum ea quæ ad vitam exiguntur, tot ſudoribus eruantur. Hos ritus extra palatium fieri ſolitos nouus Rex exequi non potuit, inopinatâ ægritudine, ac paulò poſt immaturâ morte præuentus. Cùm enim menſem vnum

nec amplius ita cœpiſſet; vt deſiderium ſui facere potuerit, intra paucos dies febre corripitur, eâque ita vehementi, vt intelligeret ſibi extemplo moriendum. Ergo ad ſe Colaos accerſit & verbis efficaciſsimis pro tempore regni negotia, hæredemque commendat. Filiis deinde duobus cùm iam ad extrema vergeret, quæ tempori apta erant inculcauit: ij duo erant, quorum natu maximus annos ſex & decem ætatis numerabat. Scripſit deinde teſtamentum quod omitti poſſe iudicaui.

His expletis, magnus ille Sinenſis horti flos (ſuum enim regnum Sinæ hortum in medio terrę ſitum vocant) vi febris emarcuit, & in ortu ſuo nouum lumẽ extinguitur, magno totius regni ſenſu, quod à longa tyrannide tum demum ſibi reſpirare videbatur. Sit etiam toti Orbi terrarum experimento, quàm nihil ſit inter mortales immortale: maximè quod miſer Princeps per totam ætatem à parente vexatus, quod alterum filium præponere meditaretur, longâ patientiâ breue gaudium præſtolatus, docuit, quàm

lon-

longis malis breuissima bona conquirantur. Mortis causam non defuêre qui veneno adscribunt, ei à matre illius propinato, qui fauore parentis diu regnum ambierat: & nisi Magistratus fortiter repugnasset, fortè obtinuerat. Verum res omnino detegi hactenus non potuit, nisi quod fortè verisimilius aiunt, nouum Regem naturâ debiliorem, veneris intemperantiâ satis acri veneno ipsum sibi hanc ægritudinem, mortemque repentinam accersisse.

Extincto Rege, summi Regiæ Magistratus, quod turbas vererentur, vrgebant adolescentem regni hæredem, vti quàm primùm regnum adiret; maximè, quod nondum illum viuus parens temporis angustijs exclusus regni hæredem appellarat, nec in eius obsequium solito Iureiurando clientes obligarat: verum adolescens restitit, & suorum Magistratuum rationibus regni consuetudinem prætulit; fortè quod per ætatem nondum satis timere didicisset. Distulit itaque suam inaugurationem in octauum diem, quæ ijsdem ritibus celebrata, eo minus habuit

gratulationis, quo maius sui desiderium præcessoris breuitas post se reliquerat. Et quoniam subita Precessoris mors habebat aliquam veneni suspicionem, maximè primis illis diebus, nondum excusâ facti veritate visum est Magistratibus adolescenti fidos excubitores corporisque custodes præter ordinem nominare. Et quoniam orbis erat vtroque parente, vnam ex ijs quæ inferiore Reginarum titulo gaudent fidissimam, Regique gratissimam nominant, quæ eum velut filium educandum, custodiendumque susciperet. Huic adiuncti sunt ex primoribus Eunuchis duo, nec his intra palatium viuere solitis contenti duos alios in Palatium ad continuam regij corporis custodiam submiserunt: ii fuerūt à Colais vnus, & alter vnus ex iis ducibus qui suum ab Hum Vuo Rege dignitatem ad posteros transmittunt. Is nostrorum est amicus in paucis, & qui hoc persecutionis tempore, nostris in villa sua suburbana latebras, aut potius hospitium percommodum commodauit, nec abhorret à Christi fide, nisi quibusdam vinculis teneretur. Patrem porrò Christianis sacris

mi-

imbutum habet,eumq; non frigidè Chri-
ſtianæ legis inſtitutis addictum. Is cogno-
mine Cham, nomine ſacro Nazarius ap-
pellatur. Eius gubernatio hactenus pro
ætate non malè reſpondet: faxit Deus, vt
quemadmodum bene ominatum nomen
elegit, ita re ipſa reſpondeat Ham Zien
Ki, quod apertum cælum ſonat appella-
tur. Vtinam hoc Rege aperto cælo Chri-
ſtiana lux affulgeat, & tot annis ærei cæli
huic regno lacte manent, ac melle. Ve-
rum tametſi hoc anno 1620. regnare cę-
perit regni tamen illius initia cum anno
proxime ineunte in publicis inſtrumentis
computantur; & totus ad exitum annus
præſens Vanliæ adſcribitur, & omnino
Tai Cham quod nullum annum inchoarit
ab huiuſmodi inſcriptione excluditur.
Quòd ideo Sinæ faciunt, ne in annis poſt-
ea computandis errori detur locus, ſi for-
te vnius eiuſdemq; anni partes pro inte-
gris, annorum lapſu reputentur.

CAP. II.

De Tartarorum bello.

ANni ſuperioris ingens clades quantum Sinenſibus animi detraxit tantum Tartaris addidit, nam iuſto certamine cum certaretur Sinarum exercitur centies mille militum fuſus fugatuſque eſt : mortales ad quadraginta millia deſiderati. Eam cladem Leao yam Proregi, qui erat illius belli ſummus Imperator, Vecordiæ, quin etiam proditioni acceptam tulerunt. Ergo iuſſu Regis in Regiam ad vincula raptatur, è quibus expedire ſeſe, non niſi mortuus, vulgo creditur. In eius locum ſuffectus eſt alius cognomine Hium è prouincia Huguam. Is magnos animos feroque cognomini ſimiles (vrſum enim ſonat) præ ſe ferens, abiit è Regia, multa meditatus, vt Tartarorum frænaret ſuperbiam, & Sinarũ ignominiam reſarciret. Et quoniam pœnâ pręmioque militaris diſciplina continetur, ipſe ſuum Regem imitatus, inertes nonnul-

los

los è philoſophico Senatu, ſed maximè è militari, duces inhoneſtâ morte multauit: quòd cum apud Sinas è longa deſuetudine diſciplinæ militaris oblitos ferè ſit inauditum, apud quoſdam nimiæ ſeueritatis famâ laborauit Idem tamen ſtrenuos milites collaudauit, & nouis titulis cohoneſtauit. Idem aptis legibus militum animos coërcuit, & nouis munitionibus varia præſidia, ſed maximè Metropolim (Leao Yam vocant) circumcinxit. Aliaque multa fecit quibus magnam expectationem concitauit.

Ipſi Tartari, nouum Proregem tentaturi miſſis legatis explorarunt: ij magnis muneribus legationem amantes id agebant, vti ſcirent, quid eſſet in homine. Verùm ille reiecta largitione, munuſcula quædam exigua dumtaxat admiſit & legatos bene donatos ita dimiſit, vt illius animum, ac prudentiam euehentes apud commiltiones euulgarint. Itaque Tartariè victoribus facti cunctatores nihil hoc anno admodum illuſtre perfecerunt: ſed neque Prorex cuius in vna velitatione fortuna ſatis tenuiter ouauit. Verum Sinæ cla-

cladibus aſſueti quamlibet victoriæ vmbram pro corpore complectũtur. Tartari ſubitâ irruptione Arcem cui nomen Chai Yven tentaturi, partem exercitus ſecretiſſimè vt arbitrabantur ſubmiſerant. Eruperat ea res per Sinas exploratores: itaq; varijs inſidijs itinera omnia occupant in fugientes erupturi. Ergo Tartari cum incautos adoriri molirentur paratos inuenerunt. Itaque recipientes in ipſas ſe inſidias iniecerunt; nec tamen ingenti ſtrage perruperunt. Mortales ſupra centum extincti, quorum capita cum eorum armis pro magno triumpho in vrbem, inde in Metropolim aſportata.

Annuum vero curriculum non vrgentibus admodum Tartaris, diſponendis ferè, aut reſtituendis præteritæ cladis reliquijs elabitur. Ex ijs tanquam non nulla parum Sinis profutura: nam eorum conſilia pace aptiora, quàm bello, deſignandis rebus tempus terunt, & Magiſtratuum multitudine plerumque omnia confundunt. Primum in militum Tribunali Rex nouum Præſidem adiecit, eique nouum dedit aſſeſſorem; qui hoc vnum bellum ab alijs ne-

negotijs expediti tractarent. Hi tormentorum bellicorum funditores conquisierunt, & è Fokiana prouincia se reperisse crediderunt, quod ij se huius artis peritos ex commercio fortè cũ Insulis Philippinis esse iactarent. Verũ cũ puluere ferreaq; glande probarentur, crepuerunt. ideo fortè quod temperamentum ignorarent. Sinæ quippe tametsi ęra campana fundunt affabrè: tormenta tamen bellica non nisi ferrea, eaq́; breuiora nouerunt. Præter hos Magistratus nominatus est alius Proregibus dignitate superior, cuius hoc vnum munus, vt de commeatu exercitui necessario sollicitè prouideat. Is sedem habet in Arce nobili, cui nomen Tien cim gnei, biduo ab Regia; ideo quod commoda sit in eum finem statio, nam & commeatus omnis qui è cæteris prouincijs in regiam flumine aduehitur, ibi consistit vnde potest in Leao Tum euehi nõ magno negotio. Ex hac enim arce breuis est in mare traiectus in cuius Sinu assurgit. Maris porro littus legentes breui cursu in prouinciam bello infestam commeatus important. Ex hac arce ipse, qui commea-

tui præest, aliquoties ad Proregem Leao Tum excurrit, cum eo de varijs negotiis coram acturus: Præter hunc, in ipsa regiâ dictus est nescio quis extra ordinem Visitator, qui hoc vnum inquirit ex munere, numquid prouinciæ bello infectæ quippiã desit ad repugnandum, eaque de re ipsum Regem priuato libello tenetur admonere. Præter hos varij ad dilectum Duces in Prouincias emissi, qui non nisi ægerrime militem cogunt, tantus est vbique Tartarorum pauor, vt eam, qua Sinæ laborant, pecuniæ cupiditatem extinguat. Ad hanc incredibilem rei bellicæ prouidentiam quid addi possit non video: & tamen in exercitu plerumque magna rerum omnium penuria, quæ milites aut deterret, aut extinguit. Id vnde oriatur satis certum. In tanta quippe Magistratuum turba nemo est qui cupidas non vngat manus. Vnde dilata ad militem peruenit annona, leuiusque decurtato argenti fragmento stipendium.

Ex eorum numero, qui è prouincijs auxiliares accurrêre, hoc anno insigne fuit Amazonis cuiusdam nouum agmen.

In Prouincia Su chuen Gens eſt agreſtis quæ montium, præruptis munita in Dynaſtiæ formam ſe redigit. Habet Ducem proprium eumque in poſteros tranſmiſſâ dignitate perpetuat: Sinenſes Magiſtratus excludit & antiquam libertatem fortiter huc vſque conſeruat. Verum ab Sinenſi Rege, titulum & clientelam perfunctoriè non reijcit potiùs, quàm admittit. Eam Gentem hoc tempore cum Imperio moderabatur virago quædam Ducis nuper defuncti vxor, quæ filium impubem ſub tutela educans interim imperabat. Ea cùm de Tartarorum incurſionibus inaudiſſet, è communi Gentis ſuæ conſilio auxiliares educere copias non dubitauit. Euecto igitur in patriam dignitatem filio ipſa cum tribus armatorum millibus glorioſa Dux è ſuis rupibus erupit, Sinarum ignauiam exprobratura, quod fœmina ſponte aggrederetur, quod viri Regis & Magiſtratuum auctoritate adacti vix auderent.

Ea longiſsimo itinere in regiam vſque auxilia educens, vbique concurſus hominum ad ſpectaculi nouitatem ſtupentium

excitabat. Eam Rex honorificè iuſsit excipi; & ſtipendia in poſterum commeatumque agmini ſuo pręberi. Tota propè Curia ad eam viſendam concurrit, ipſique ſummi Magiſtratus eam quo ritu ſe mutuo ſolent, viſitarunt, ipſa porrò Magiſtratuum Sinenſium habitu & lingua ritus omnes expeditè complebat; neque ſinebat ſe à ſuis muliebri titulo Dominam appellari; ſed quod virorum munus obiret, titulos etiam vſurpabat.

Vbi de Tartarorum viribus certior facta eſt, à Rege petiit, vt ſibi liceret è ciuibus ſuis quatuor millium auxiliis agmen ſuum augere: impetrauit; nec hoc ſolùm, ſed Sinenſium militum tria millia eidem ſunt attributa qui ſub fœmina militare probroſum ſibi non putarunt. Ea cùm in Leao Tum deſtinaretur, in vrbe permagna cui Tum cheu nomen eſt, animi ſui dedit experimentum. Ea in vrbe aliæ cohortes Sinenſium è Prouincia Chekiana militum ſtationem habebat. De hoſpitio inter vtroſque lis orta, inde iurgium, vtrinque arma ſumuntur. Amazon illa obequitans ſuorum iniuriam vlciſceba-

batur. Vtrinque deſiderati aliquot, ſaucij plures: & res iam in apertum tumultum iuſtumq́ue certamen poſt primam velitationem abierat. neutra pars cedere parabat, aut iras ponere. Aderat fortè Paulus noſter, de quo vti quotannis, ita nunc multa dicenda ſunt. Is iam rei militari iuſſu Regis implicitus, vti mox dicemus, eum tumultum ſine ſanguine poſthac magna cum omnium approbatione compoſuit. Is multa noſtris retulit de huius Viraginis animo, ſcientiaq́ue militari: quæ deinde cum ſuo agmine in Prouinciam dimiſſa quid fecerit, nihil hactenus ſcribitur.

Verùm ad Proregem Tartarosq́ue redeamus, huius ſolertia Tartarorum fortunam victoriæque torrentem non nihil repreſsit, ſpemq́ue fecit meliora non deſperandi. Tartari Sinis contermini varias in dynaſtias diuiſi ſunt, intolerabilius vt ſit Sinenſis regni vaſtitatem à Regulo tentari: ex anni ſuperioris victoria, vicini Reguli aliquot æque Tartari Sinarũ vectigales ſuas res parùm tutas arbitrati, quod eodem fortunæ impetu raptari poſſe viderentur ad nouum Proregem Le-

gatos legant, in Sinarum amicitia fideque se persistere aiebant, auxiliaq; pro viribus offerebant : hortabantur vt insolentem nuperrimâ victoriâ Regulũ Sinensis Maiestatis contemptorem perderet, funditusque deleret. Prorex gratiis actis, auxilia reiecit (siue quod Barbaris parùm fideret, siue ad virium ostentationem, metusque dissimulationẽ ita referre iudicaret. Tartari porrò vicinis Regulis formidini esse cœperunt, qui Sinarum Imperio assueti, norunt eam Gentem à dilatandis Imperij finibus abhorrere. Hinc factum est, vt segnius pergerent, totumque annum in velitationibus minisque quibus etiam Coriani vrgebantur, continuerint.

Ad hunc locum spectat noua Pauli nostri dignitas, qui hac occasione ad summa quæque euectus spem facit rei Christianę in antiquum fortasse cum fœnore restituendæ; hoc enim ille vnum spectat, quod vt intelligas, scias velim Paulum illum nostris annalibus notissimum tot iam annos in regiorum litteratorum Gymnasio versatum per consuetos honorum gradus

sum-

ſumma omnia ſperare potuiſſe, nihil vt opus habuerit nouis artibus altiora ſpectare: quin potius abijciebat ſe infra ſe, cùm arma tractare non refugeret, Regij Gymnaſij Princeps in paucis litteratus. Is igitur vt belli huius vltricem agnouit manum, ita cogitauit ab ea quæ percutit ſanitatem expectare. Ideò quamuis eum regni labẽtis proſperitas inclinata permoueret: multò tamen magis rei Christianæ reſtituendæ, vel potiùs ſtatuendæ ſtudio permotus, opportunam rei bene gerendæ occaſionem non omittendam ratus, varia moliri, variaq́; tractare aggreſsus eſt: nihil moratus, vel honoris imminutiouem, vel proprium diſcrimen, vt rem Christianam promoueret. Viam itaq; conſiliis ſuis ſternens, accuratis libellis Regem de Tartarorum bello commonefecit, eiusq́; belli cauſas, & vitia, & modos dilucidè fideliterq́; proſecutus, totius in ſe Regiæ oculos expectationis proſperę fulgore concitauit. Inter varia quæ ad incolumitatem regni profutura propoſuit; vnum erat Sinas ex belli deſuetudine imbelles eſſe, externis auxilijs indigere, & maximè Luſi-

tanorum qui ad prouinciæ Cantonienſis littus mercimonia contrahentes, bellicorum tormentorum fragore, militariſque rei peritiâ, maximè videbantur idonei ad Tartarorum inſolentiam comprimendã. Id porro agebat Paulus, vt cum Luſitanis auxiliaribus noſtri rem ſacram procuraturi ſe permiſcerent, & ſi quid eſſet à re bene geſta in regnum emolumentum, id omne in rem Chriſtianam deriuaretur. Ad hos libellos vt dixi, magnus fuit regiæ totius applauſus. Verùm Vanliæ etiam tum ſuperſtes vt ad libellos cæteros antiquo vitio, ita etiam ad hos diu ſurdus oraculũ nullum, reſcriptumve proferebat: nihil vt mirum videri debeat, ſi Tartarorum celeritas licet adeo viribus impar, hanc Sinenſis Imperij ludat tarditatem.

Interim, dum hæc in Regia maiori applauſu Paulus quam fructu molitur, legati è vicino Coriæ regno adueniunt, nouum fœdus cum Sinis contra Tartaros inituri; petebant ab Sinis auxilia ſimul & offerebant. Ex hac legatione noua Paulo conſilia rei Chriſtianæ quamprimùm inuehendæ. Habebat domi ſuæ Sacerdotem

è noſtris P. Franciſcũ Sanibiaſi ſed occultum præter ſuperiorem. Qui cùm omnia tractabantur ad eos ſua conſilia defert, videri ſibi opportunum, vt cum his legatis in Coriam ipſe vnà cum noſtro Patre penetraret vbi occaſione delectus faciendi, militemq; exercendi per totum otiũ rei Chriſtianæ prima fundamenta iacerentur. Non fuit difficile noſtros iam ſua ſpõte procliues in hanc expeditionem inclinare: nihilominus tantiſper ardore compreſſo auctores fuerunt, vt per dies aliquot conſulto per ſacrificia, preceſq; Deo illius in re tanta voluntatem explorarent. Paulus expiatis de more peccatis, & diuino epulo refectus vnà & noſtri prima cõſilia poſteriorioribus curis confirmarunt: omnino iudicantes nunquam aliàs commodiorem in hoc regnum penetrandi occaſionem affuturam: quæ toties ab Iaponia maximè à noſtris tentata in irritum ceciderat. Ergo eo ipſo die libellum quem prius ſcripſerat ad Regem transmiſit. Eo libello Regi ſe ipſum offerebat in legationem Corianam, vt ibi militum delectus faceret, & contra Tartarorum

irruptiones præpararet. Et quoniam non ita procliue erat inuenire, qui eo tempore huiusmodi legationem susciperet: eo ipso die Vanliæ libellum emisit cum huiusmodi rescripto. Legatus in Coriam Paulus dimittatur, quo titulo comitatu apparatuque Magistratuum, ac militiæ Tribunalia definirent.

Ex hoc rescripto summa fuit in Paulo, nec minor in nostris exultatio: sed breue gaudium: die quippe insequenti ex admonitoribus regijs, vnus aliquis officij sui esse putauit, Regem admonere; ne tantum virum in tanto regni discrimine regno emitteret: satius fore, si primorum libellorum consilia non supprimeret, sed eum (quem prolixè laudabat) in Regiæ custodiam, regniq; incolumitatem eueheret. Hunc libellum quâ facilitate priorem admiserat; eo quoque ipso die rescripsit placere sibi, vti Paulus à Coriana legatione supersederet, & quibus artibus valebat, regni malis præsentibus opitularetur. Quod vt faceret efficaciùs, Magistratuũ tribunal decerneret quibus honorũ

gradibus hæc in rempublicam merita cohoneſtari oporteret. Ad hoc reſcriptum quo prius reſcindebatur, Magiſtratuũ tribunal quod eſt in Regia cęterorum Princeps ita reſpondit: videri ſibi quoque tantum virum hoc tempore Regno nõ emittendum, ſed ad Regiæ tutelam, regniq́ue incolumitatem detinendum. Videri ſibi, vt non procul ab Regia militum delectui exercitioque cum ſuprema poteſtate præeſſet. Nec tamen Collegio regio educeretur; ſed potius in eo nouis honorũ gradibus cohoneſtaretur: ij ſunt quatuor, in quibus explicandis nolo tempus terere: hoc ſatis ſit ſcire. Paulum noſtrum vno dumtaxat gradu ab Colais diſtare Hos titulos diu Paulus admittere recuſauit inuidiam deuitans. Neque enim per gradus ſed per ſaltum ſubierat; ſed fruſtra; coactus eſt admittere. Et quoniam primis rumoribus non ſatis certa de Paulo delata ſunt Macaum, vnde fortaſſe in Europam aliquid abierit, inſeram ipſius Regis diploma, quo corrigas, ſi quid forte minus certum in priuatorum litteris contigerit reperiri.

Omiſſis & Regis & Pauli titulis Rex ita proſequitur: Nuper ad ortum res parum quietas proſpiciens, & regiam indefeſsâ cuſtodiâ tuendam iudicans & quod è toto regno milites euocandi ſint, quos oportet primum in re militari exerceri, vt in omnem occaſionem parati ſint; & quod hi ſenſim ſub magnis ducibus delecti in finitimas regiæ ſtationes ſunt diſtributi à quibus militiæ leges edocentur: his omnibus militibus ac ducibus te cum ſuprema poteſtate præficio: quibus oportet vt nouis edictis ac legibus ea præſcribas quę profutura iudicaris. Tuum erit, obſequentes præmijs afficere, vecordes plectere: omnes quoque militum delectus & rei militaris exercitia, ſiue intra regiam, ſiue extra in tua erunt poteſtate. Tuum erit ea indicere, tuum ea interdicere pro arbitratu. Quidquid etiam ad belli commeatum, arma, equitatum, carpenta & huius generis militarem apparatum ſpectat, tuum erit prouidere, ſumptum è tribus Tribunalibus quorum ea res intereſt, quęſturæ videlicet, Militiæ, Operumque publicorum (Sinæ, Hu, Pim cum vocant)

tibi,

tibi ſuppeditari facies. Hæc per proprios ſingulorum munerum Magiſtratus procurabis, curabisque vt arma defenſioni offenſioniq; deputata ſint, qualia tempus exigit: militares proluſiones frequentes ſint,& ordinatæ, quorum induſtria, vel virtus eluxerit, tuum erit militiæ muneribus præficere, non milites dumtaxat, ſed etiam ipſos Duces altius euehere: prȩter præmia quȩ cuiuſque virtus poſtularit. In ijs quæ ad Regiam ſpectant muniendã ac tuendam, habebis collegam N. (grauiſſimum Senatorem nominat) quod opportunum videbitur vterque ſtatuetis. Quæ extra Regiam fieri oportebit cum meis Proregibus, ac ſummis Ducibus in deliberationem vocabis, quæ porrò decernes Proregum meorum vim & auctoritatem obtinebunt. Poteris etiam è ſummis Ducibus & infra quos iudicaris Magiſtratu abdicare. Si quis porro deprehẽſus fuerit militum ſtipendia decurtare, aut in ſuo munere remiſſius agere, aut res nouas moliri, vel edicta legesque tuas impedire aut negligere: tuum erit hos omnes militaribus pœnis ſeuere mulctare.

Si

Si quid porro erit in hoc nostro diplomate minus explicatum tuum erit explicare. De omnibus porro quæ iudicaueris, sæpe nos admonebis, & in omnibus curabis, vt te fidum clientem exhibeas, & huic meæ voluntati supremæ, quâ tibi hæc omnia committo sedulus respondebis. Hactenus regium diploma.

Hoc Regis diploma parum arrisit Paulo nostro, tum quod harum rerum exercitatio difficilior est, quàm scriptio: tum quod Pauli naturæ molliori, & libris non armis assuetæ parum conueniret, cum tamen ad Sinensium militiam tot iam annorum inertia deformatam seueriore disciplina coërcendam acrioribus animis remedijsque sit opus, quàm ijs, quæ à Sininensi penicillo peti posśint. Quam rem vti suis initiis exhorruit, ita in processu quotidie importabiliorem deprehendit. Nam & sumptus, vt solet vix extorquebatur, milites à prouincijs non delecti, sed inutiles mittebantur, ijque fere eum Magistratuum Syngraphis vti biennio missionem emeriti censerentur. Vix est enim toto Sinensi regno qui militiam sectetur,

volens

volens per vim collecti facilè dilabuntur: maximè quod militiæ rigor crudelitas habeatur. Inuenit omnino circum Regiam septem armatorum millia, è quorum numero quinque millia decebat exarmari. Illos enim vel ætas grandior, vel ægritudo ab hoc onere subleuabat. Oportuit nihilominus tempori seruire, iussisque regijs tantisper obtemperare; donec spes aliqua se honeste subducendi affulgeret.

Interim otiosus non fuit: sed cum illustre vix quicquam fuerit vnum persequar, quod ad nostrum facit institutum. Initio dixi Pauli omnia consilia eo vergere vti rem Christianam promoueat, nostrosque regiâ sententiâ notatos in pristinum reuocet. Ergo suopte consilio Amacaum ad Lusitanos mittendum iudicauit, qui videret ecquid ab ea vrbe sperare posset auxilij; cuius vtilitas non in eam vrbem minus, quàm in regnum redundaret. Nolebat enim suo libello prius Regem admonere, quàm sciret quid Lusitani possent, aut vellent laboranti regno auxilij præstare; ne se aut eos obligaret verbis, quibus expedire se neutri possent: Scripsit igitur

ad Leonem & Michaelem, alia duo Sinensis Ecclesiæ lumina, in Emporium Nancianum vti Neophytum vnum alterumue in eam rem Amacaum destinaret; fieri posse, vt ex ea re non exigua in regnũ & in rem Christianã maxime commoda dimanarent. Destinati sunt duo, Cham Michael & Sun Paulus. Ij cum Amacaum venissent excepti sunt in Collegio nostro quâ fieri potuit in illius angustijs laxitate. Volebant quidem Lusitani publice illos excipere: sed prohibiti sunt à nostris, quod priuato dictorum Senatorum nomine, non Regio mitterentur. Mandata sua exposuere: in Lusitanis nulla difficultas, tametsi eam iustissimis titulis causari potuissent. Hollandorum quippe obsidionem, qui eam è Iaponia nauibus octodecim minabantur in dies expectabant: verũ illi priuatas angustias publicis rei Christianæ commodis posthabentes non dubitarunt quatuor tormenta bellica iustæ magnitudinis quæ sibi subtraherent deputare. Neque passi vt ea pretio efferrent, sed gratis ad Regem per ipsius Pauli manus transmiserunt. Neque hac importu-

no tempore largitate contenti, quatuor tormentorum exploſores ſuo pretio condúxerunt, qui eorum vim contra Tartaros exererent, quo iudicio ſuam in Sinenſe regnum voluntatem commonſtrarunt, plura facturi quoties eorum opera Rex vtendum iudicaret. His Luſitani mirum in modum Neophytos noſtros Senatores ſibi demeruerunt, & incredibile quàm toti Sinenſi regno ſui famā hoc facto concitarint, vulgo vt credi vix poſſet, tantam eſſe poſſe hominum externorū in Sinenſe regnum beneuolentiam, quæ anno ſequenti plura parturiet bona, quæ nunc ratione temporum omittenda. Sed non Cantonienſium Magiſtratuum ingratus animus; qui nondum quas de Luſitanis vmbras conceperant deponentes noluerunt iniuſſu regio externos homines tormentorum exploſores in regnum immittere; ſed eos ab ipſa Metropoli Amacaū r emittētes muta ſine artificibus tormenta vlterius pergere permiſerunt. Verum hæc omnia, vt deinde apparuit Dei nutu contigerunt, qui maius aliquod bonum ex his elicere deſtinabat. Hæc ad ſequen-

tis anni litteris cum pertineant, studio prætermittuntur: maxime quod nondum in suum finem omnia directa videamus. Hic igitur longam de Sinensis regni publico statu narrationem finiamus, quam tot rerum vices breuiorem esse noluerunt.

De Sinensis Ecclesiæ statu.

HUius Ecclesiæ status præsens vniuersim similis mihi videtur navi, cui aëris minæ, nubiumque terriculamenta ingentem procellam è proximo minantur, huic enim nautici homines vela, quæ prosperos flatus admittunt detrahentes, aut contrahentes colligunt cursum, & superioris mali apices, ac periistia demittentes detractis nauis ornamentis præstolantur, dum sese cælum aperiat, minasque deponat. Et superest vt totum sit in metu malum, dissipatisque ventorum furiis, solis contenta minis procella subsidat. Ita nunc in huius Ecclesiæ naui videtur contigisse quadriennium enim

enim eſt, ex quo atrox tempeſtas omnia momento ſubmerſura videbatur, eius nauarchi tempori obtemperantes naualium Sociorum operâ vela contrahunt, abdunt ſeſe in latebras; ſed eas, cuiuis qui inueſtigaret, obuias de priſtina libertate nõ nihil imminuunt, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.

Hactenus in ſolo metu fuit malum; nihil ab huius procellæ machinatore noui: eum tamen in eius prope oculis plerique Nanciani apud Michaëlem Neophytum eiuſdem affinem, noſtri, ſi dicere licet, publicè deliteſcerent: publice, inquam, nullo enim die feſto paulo celebriore centenis pauciores in ædem noſtram domeſticam ad Sacra concurrunt: in vicinos pagos cum fructu excurritur; quotannis nihilo pauciores Chriſti gregem augent, quàm cum proſpero curſu ferremur. Hæc omnia nouit, & prope videt, ſed hactenus ſilet, quo animo, quis nouit? fortaſſe pænitet olim multa mouiſſe, & multorum à ſe animos abalienaſſe, fortaſsis etiam grauiores coquit iras, ex altiore loco, quo totus aſpirat, erupturus. Et ſane hoc ipſo anno ſi fa-

mæ credimus largitione, quæ multum valet, euicit vt in Colaorum numerum supremum Sinensium honorum culmen eueheretur: ad quam dignitatem adeundam cum in regium iter facturus iam iamque crederetur, subito repressus est, & cum omnium Magistratuum gratulationem admisisset, festosque ad ianuam ignes ac ludos haberi permisisset, extemplo occlusit fores, & mærorem suum decocturus aliquandiu se continuit. Id ex eo factum est, quod germanus illius frater, ac natu maior, isque Doctoris quoque & honorum titulis insignis domesticas inimicitias in publicum eduxit, & conflato libello sanè infami fratris scelera secreta pleraque, ac domestica, publica esse voluit. hunc enim libellum sæpius transcriptum per omnia subsellia sparsit, legique fecit ab omnibus. Ea res è Sinensi more sola sufficere videtur ad hominem in perpetuum Magistratibus excludendum. cui enim res domestica male cedit; qua spe publica committetur? non hic stetit viri contumelia. in regia quippe vnus aliquis è regijs admonitoribus
eum

eum acerrimè carpens eâ dixit libertate, vt addi vltra nihil poſſet: libellum vidi ego & ſatis miratus ſum reperiri hominem, qui tantâ licentiâ notare audeat hominem ad ſumma quæque iam euocatum: Is omnia claudebat hoc epiphonemate: Ad extremum vir eſt domi ſuæ laſciuus, foris Reipublicæ perturbator.

Ex hoc libello ac ſuperiore factum eſt, vt anno toto ſe domi continuerit, & ex conſuetudine Sinenſi ſimilibus iaculis impetitus domi latet. Si enim prodierit acrioribus ſe obijcit; quaſi tanta in honores cupiditate feratur, vt continere ſe non poſſit. Fingunt enim Sinæ, tametſi nihil magis ambiant; ſe ad honores admittendos non niſi per vim adduci. Ex his rerum bene periti iudicant fieri vix poſſe, vt his cauterijs inuſtus, vlterius emergat; hoc è Sinarum conſuetudine ita futurum iudicant; ſed alij tamen qui hominis artes penitius norunt, melius fortaſſe coniectant, eum minimè conquieturum, ſed tentaturum largitione, amicorumque machinationibus,

vt rogetur, quid effecturus sit tempus docebit; nec defuturi etiam creduntur quorum intersit eum penitus exturbare.

Hoc Sinensis Ecclesiæ statu tædebat iam dudum contractis velis nauigare, & supra metus causas vlterius metuere parum generosum putabatur: prudentiæ datum nimis: aliquid in Deum confidentię laxandum. Id maximè visum quod Neophyti nostri qui nos apud se diuersari volunt in ea erant sententia: Audendum igitur fuit: euocandique ad supplementum socij, qui iam Amacai aliquot annorum cataractis redundant, nec vlterioris moræ spatio contineri se vltra patiebantur. Hi erãt duplicis generis veterani: videlicet ac tirones; veterani quinque quos fere procellæ nuperrimus turbo, in Amacaense littus expulerat, Tirones qui cum Procuratore nuper ex Europa exscenderunt, non omnes quidem. nam plerique Goæ studiorum cursum prosecuturi remanserant: sed cum procuratore quinque. De his ad Visitatorem Superior Missionis scripsit Amacaum, mitti posse prout res tulerit, & Cantoniensis prouinciæ transitus spem de-

derit

erit euadendi. Ex Veteranis, qui Amaai præstolabantur, Pater Didacus Panoia diem suum obierat, vti iam superioribus annalibus scriptum est. Hoc etiam anno P. Sabatinus De Vrsis ad pręmia laum euecatur vti postea suo loco.

Intra sesquiannum igitur triplici ausu sex ingressi sunt in auxilium cæterorum, quatuor ad hunc annum spectant, reliqui duo videlicet P. Franciscus Hurtado Lusitanus, & P. Ioannes Terrentij Germanus ad insequentẽ. Inter Veteranos qui Amacaensi cataracta tenebantur, vnus erat Pater Emanuel Dias Lusitanus dictus Iunior, vt ab alio Seniore satis noto distinguatur. Is Amacaum venerat negotiorum causâ prius aliquanto, quam nostri quatuor è Sinensi regno dimitterentur. cum enim Præpositi Prouincialis iussu ac nomine totam Misionem visitasset, ab eo euocatus est, vt facti sui de more redderet rationem; ex eo negotio cum se breuiter expedisset in procinctu iam erat ad stationem suam rediturus; cum ecce tibi Amacaum de persecutione delatus rumor eum tum quidem retinuit, & alio toto prope triennio, cum

inter varios & sępe vanos metus de reditu suo, ne importunus quidem quicquam impetraret. Interim otiosus non fuit. nam præterquam quod visitator eum sibi socium accepit eiusdem iussu iustum volumen scripsit de imbuendis Catechismo Gentilibus. Tandem aliquando hoc anno longa eius vota Deus exaudiuit, nam spe meliorum à Missionis Superiore concitata, tandem de illius reditu conclusum est. Datus est illi socius P. Ioannes Vremanus Dalmata quem Mathematicarum disciplinarum egregie peritum, ac volentē Procurator noster cum primum Romam aduenerat à R. P. N. Claudio Aquauiua felicis recordationis satis ægrè, sed tandem impetrarat. Is Amacaum veniens mox capillum alere iussus est in proximam ingrediendi spem intentus, sed eundem procellæ rumor intra littus Amacaense detinuit supra triennium. In eo Collegio Mathematicas disciplinas interim profitebatur & audiendis pænitentibus maxime scholasticis spem suam fallebat. Hoc ętiam agebat sedulo, vt quoniam Ama-

cai repererat è noſtris nuper proſcriptis qui Sinarum Aſtronomiam ſatiscommode callerent, ſe in hoc ſtudio exerceret, vt poſtea liceret aptius ex Europæis diſciplinis, quæ ad Sinarum genium & ingenium facerent excerpere. In his non inutiliter occupatum aëris inclementia ſæpe grauiter afflixit, eiuſque maxime ſtomachum ciborum inſolentia grauiſſime debilitauit. Quamobrem Superiores primam occaſionem arripuerunt, vt eum intra regnum immitterent, vbi aër clementior & cibi ſimiliores Europæis minime deſiderantur rati fore, vt tam inſignis operarius conſeruaretur: ſed ad metam venerat in ipſis carceribus, vt pauló poſt ſubiungemus: ſoluunt igitur Amacao ambo, quam ſecretiſſime & feliciter in ipſum regnum penetrant, tametſi non defuit in quo patientiam exercerent; breuis vt ſim, omitto multa. Satis conſtat Patrem Ioannem Vremanum toto triduo in nauigij ſentina cum ortum eſſet periculum neſcio quod, delituiſſe; & quoniam id in hibernos menſes inciderat, & bonus Pater toto eo tempore ex aqua

pedes nunquam eduxerat, addidit ad antiquum morbum noua in commodi præsentis incrementa, quibus reliquo deinde itinere (hoc enim initio contigerat) ita vexari cœpit, vt cum Nancianũ Ciamsinensis Prouinciæ Metropolim nostri deuenissent, omnino eum ibi retineri oportuerit vt â morbo curaretur, aut potius vt in media nauigatione felicitatis æternæ portum reperiret. Aderat tum opportune Nanciani P. Ioannes à Rocha illius Prouinciæ Domiciliorũ Superior, eius caritate complexuque foueri cœpit æger, & non solum certam vitæ spem; sed etiam salutis dare. Ergo quoniam noster sacerdos ad instituendam nouam sedem à Superiore totius Missionis mittebatur, ægro maxime auctore, visus est sibi iam tutò posse recedere. maxime quod in eius subsidium vnum è nostris fratribus, cui mox etiam alius casu superuenit relinquebat. Per Patris discessum morbi vis, quæ iam se remiserat, intendi denuo cœpit, auctis admodum circa splenem doloribus, eius felicem transitum describam totidem verbis ex epistola vnius fratris qui præsens interfuit;

fuit; is ad Superiorem post pauca ita scribit: Sexta feria maioris hebdomadę Nancianum quo mittebar deueni, ibi reperi P. Ioannem Vremanum ita longo morbo consumptum vt vix ossibus hæreret, nec in alteram partem posset se sine alienis auxilijs obuertere. In his doloribus maxime circa splenem ad extremum vsque spiritum integerrimæ mentis compos fuit, & prope continuò suauissimis colloquijs cum Iesu Christo crucifixo, quem ad latus habebat dolores suos fallebat; ijs audiendis tenere me non poteram, tametsi alias durissimus ad lachrymas, quin totus non raro pio fletu perfunderer: quamdiu cum eo superstite fui, frequens eo rogante sanctorum gesta vitasque aut narrabam aut legebam. Exigebat etiam vt septem Psalmos à pænitentia dictos quam tardissime legerem, vt ipse pias commẽtationes suas & colloquia interserendi otium haberet. In eum modum in quartam feriam post Domini resurrectionem vitam trahebat, eum diem sibi sensit fore postremum; rogat me, vt e volumine quod florem sanctorum vulgo nominamus, obuiam cuiuslibet

ſancti legerem hiſtoriam quod feci quam tardiſſime, illique de more quæ legebam ſuauiſſimis cum Crucifixo colloquijs condiebat, & fere erant amoris in Deum plena, plena animi cupientis diſſolui & eſſe cum Chriſto. Interim iam ſenſim cũ extremis ſingultibus luctari cœpit, inter quos dicebat ſe mortem non timere, dolere tamen ex animo quod in hac Sinenſi vinea pro antiquis ſuis votis collaborare non liceret.

Verum quoniam Deo aliter videbatur, eius niſi voluntatem volebat & gaudebat impleri. Inter hæc altera iam poſt meridiem hora, ciſtulam ſuam aperiri iubet, & eductum ex ea quaternionem foliorum iubet incendi. arbitror in eo quædam quæ ad animam ſpectarent contineri, quæ ille ſibi nolebat ſupereſſe; deinde iubet ſacrum Medalium cui ſancti Caroli erant Indulgentiæ applicatæ brachio ſuo dextero alligari. Poſt hæc queri cœpit de grauibus inteſtinorum doloribus, ad quos leuandos voluit me manu ventrem nonnihil fricare, quod cum facerem cadauer iam non hominem deprehendi

hendi ; ita præter pellem ac oſſa nihil erat. Inter hæc ille repente Ieſu ac Mariæ ſuauiſſima nomina ter implorat, & oculis in Crucifixum defixis ore non nihil aperto exſpirat ad laborum ſuorum præmia, quam ſuauiſsime feſtinans : eo ipſo die corpus Sinenſi ex more in Sarcophago compoſuimus, & die inſequenti Nanquinum verſus iter arripui, & cum eo deueniſſem opportune quatuor è noſtris ibi reperi, Patrem Gaſparem Ferreira, & Patrem Petrum Spira vnumquemque cum ſocio ſuo qui triduo ante aduenerant. Corpus igitur in cœmeterio noſtro vna cum Patris Feliciani à Sylua corpore depoſui. hactenus ille. Hunc habuit exitum bonus Pater Ioannes Vremanus cuius mortem omnes ſenſimus, vt par erat quod operarium in operis initio defeciſſe videremus. Pater Emanuel Dias Nancianum præceſſerat vbi ſua ſtudia proſequebatur, & illius domicilij curâ Miſſionis ſuperiorem, qui hic reſidet ſubleuabat.

Alter intra eundem annum noſtrorum ingreſſus alium binarium Miſsioni dedit,

dedit, aut potius reſtituit, vterque enim ſuam ſtationem repetijt aliquot annis intermiſſam. Nam Procurator huius Miſſionis ex Europa rediens expleto ſeptennio in itinere vaſtíſſimo Rachelem ſuam obtinuit toties deſideratam; & ſæpe vel morbis, vel periculis deſperatam. nihil de illius itinere nunc, nihil de annua in Amacaenſi Collegio mora. hæc enim vel alias ſcripta ſunt, vel in hiſtoria ſuo tempore legentur: quod ad hunc annum ſpectat non eſt omittendum. Eius ingreſſus quam lætitiam ipſi, ſocijs, totique Miſsioni attulerit quia facile eſt æſtimare, nihil opus eſt ſcribere. Neophyti ſanè noſtri & maxime primores mirum in modũ exultarunt, cum intellexerunt, quàm incenſis animis Summus Pontifex; Reges, Dynaſtæ, totus denique Chriſtianus orbis hanc expeditionem promouere conati ſint. Et opportunè ſub idem tempus literati duo qui Amacaum ad bellica tormenta miſsi fuerant, tum bibliothecæ, tum munerum ſplendore ſtupefacti mira retulerant, nihil vt opus fuerit Procuratori ſua commemorare: verum alieno tempore perturbatiſ-

que

que Tartarorum bello rebus nondum effectũ ſuum ſortiri potuerunt quæ ſunt allata, omnia in Amacaenſi Collegio aſſeruantur, donec maior tranquillitas aperiat ſpei noſtræ faciliorem viam. Interim in omnem occaſionem intenditur, quam breui affuturam anni ſequentis iam ineuntis, proſpera quædam initia portendunt. Procurator noſter Nanciani ſtudia ſua Sinenſis literaturæ repetit, ſeptem annorum obliuione propè deleta, & vna pergit Procuratoris intra regnũ munere fungi, cum alter Amacai rem quoque noſtram neceſſario procuret. Cum eo redijt ad ſuam Miſſionem P. Aluarus Semedo, qui nuperrimæ perſecutionis bona pars, glorioſa ignominia proſcriptus, hactenus Amacai ſpem de reditu non deponebat. Is mutato nomine ad locum ſuum redijt. ex quo videre facile eſt, pacatiora quam ſint omnia, nihil vt dubitemus etiam nominatim proſcriptos in regnum reuocare. Nihil eorum ingreſſus periculi habuit, tametſi ſine fratre noſtro Duce iter aggreſsi ſint deducente illos Doctoris Michaëlis domeſtico famulo,

mulo, qui forte ad heri ſui negotia Cantonem excurrerat.

Priusquam Procurator noſter ex Europa rediijſſet in morem inducta iam erat Apoſtolica de pileo inter ſacrificandum vtendo indulgentia; de quo cum hactenus nihil ſcriptum putem, hoc loco vno verbo tangam, quam propenſis animis hæc res à Neophytis accepta ſit, quibus more gentis nudum caput, idque prolixa cæſarie horridum, in hoc ſacrificandi ritu videbatur indecorum. operæ pretium eſſet quæ Neophyti literati dixerint, imo quæ ſcripſerint hic inſerere. Commentarios hac de re ſcripſerunt, quos ipſum Summum Pontificem legere, vt arbitror, non pigeret. In ijs Apoſtolicæ ſedis auctoritatem admirati, ſummopere laudabant Chriſtianæ Reip. Hierarchiam, quæ diffuſis orbe toto membris, ita ſuum caput obſeruaret, vt eius iniuſſu ne ritus quidem non maximi ponderis auderent innouare: non poſſe non eſſe in hac tanta membrorum conſenſione perpetuæ veritatis firmitatem. Et quoniam in eo diplomate

con-

continebatur ne communi pileo ſacrificaturi vterentur; nouum adinuēnerunt, eumque myſterijs plenum, quæ ſuis commentarijs explicarunt, eum noſtri comprobantes vſurparunt, ita enim oportebat hanc rem temperare, vt & Pontificis voluntati, & Sinarum oculis ſeruiretur. In ſuprema parte quadratus ex omni latere, à ſummo ad medium pileum ex eadem materia ſerica vel holoſerica fimbriam demittit, quæ ipſe quoque ſingulæ in ternas partes diuiduntur, in quarum ſingulis porta pingitur acu; & ita Hieruſalem cœleſtem quadradratam eiuſque portas duodecim repræſentat.

Claudam hoc caput epiſtolis duabus quarum non oportet in annalibus noſtris memoriam interire. Procurator noſter ex Europa rediens ab vrbe ſecum attulerat Illuſtriſsimi ac Reuerendiſ. S. R. E Cardinalis Roberti Bellarmini literas ad Sinenſes Neophytos, quibus ille ardori ſuo indulgens partim exultabat in Domino, partim eoſdem ad omnem pietatē cohortabatur. Hæ literę Sinenſi iam opera noſtrorum Sermone loquentes & quaqua verſus vbi

noſtro-

noſtrorum deſudat induſtria diſtributæ,
mirum in modum omnium animos per-
mouerunt: Doctores noſtri & literati ple-
rique reſpondere geſtiebant, & iam aliqui
ſuas literas conceperant, & ad Miſsionis
Superiorem miſerant in Europam deſti-
nandas. Verum re melius perpenſa, non eſt
viſum has Eccleſiæ columnas tantò diſcri-
mini exponere. Eſt enim hoc in regno ca-
pitale perduellionis crimen, indigenam
cum alienigenis extra regnum literarum
commercia miſcere; & quoniam in Canto-
nenſi prouincia cum emitterentur, diſcri-
men erat maximè quod Sinenſi characte-
re ſeipſas facile proderent, viſum fuit Il-
luſtriſsimum Cardinalem æqui bonique
conſulturum, ſi ſine reſponſo ſuas non in-
utiles fuiſſe intelligeret. Ne tamen aut
tanti Cardinalis monumentum excidat,
hîc eius literas inſeram & ne plane ſine re-
ſponſo legantur addam primoris noſtri
Neophyti; ſiue dignitatem, ſiue pietatem
ſpectaueris, reſponſum Latinè redditum
quod ille ſpreto diſcrimine in Europam
deſtinabat niſi noſtri publicæ incolumita-
ti conſulentes priuatam eius voluntatem
cohi-

cohibuiſſent. Illuſtriſſ. Card. Epiſtola ſic ſe habet.

Gaudio magno affecit nos reuerendus frater noſter P. Nicolaus Trigantius, qui longiſsimo itinere ex vltimo Oriente ad nos rediens, ſignificauit nobis in iſto ampliſsimo regno Sinarum, aperiri cœpiſſe oſtium fidei Chriſtianæ, in qua ſo la inuenitur certa ſalus ęterna Ad iſtum nuntium exultauit, tota Romana ciuitas quæ eſt caput omnium regnorum Occidentis: exultauit ipſe ſummus Pontifex Paulus Quintus, qui eſt Pater omnium Regum, & omnium populorum Chriſtianorũ, qui Deum verum agnoſcunt, qui regnat in cælo, & in terra: exultauimus cum ſummo Pontifice nos omnes Cardinales & Epiſcopi, qui ſummo Pontifici aſsiſtimus, & nobiſcum vniuerſus Clerus, & populus Chriſtianus. Dolebamus enim vehementer quod tam longo tempore, tanta multitudo hominum magno ingenio prędítorum, quanta eſt in iſto vaſtiſsimo regno Sinarum, ignoraret Deum Creatorem ſuum, & Filium eius Ieſum Chriſtum, qui ſecundùm oracula omnium Prophetarum, qui fuerunt ab initio

mundi, dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos æternæ felicitatis faceret eſſe participes. Diabolus enim qui olim de cęlo ob ſuperbiam excidit, & factus eſt princeps tenebrarũ, hoſtis perpetuus generis humani ſub prætextu conſeruationis regni iſtius, clauſerat oſtium ſalutis Prædicatoribus Euangelij. Nunc autẽ gratia Dei illuceſcere cœpit regionibus iſtis, & oſtendere doctrinã Euangelicam, non eripere regna terrena; ſed conferre cęleſtia. Itaq; gratulamur vobis hoc magnum bonum, & gaudemus nobis, quod tantos fratres in Chriſto adepti ſimus. Sed quia ſola fides in Deum Patrem & eius Filium non ſufficit ad ſalutem, niſi ſobriè, iuſte, & pie viuamus in hoc mundo; ideo exhortamur vos, vt per viam mandatorum Dei ſine offenſione curratis; abſtinentes ab omni iniuſtitia, & impuritate, & mendacio, & dolo, & abundantes in omni opere bono, proficientes in virtutibus ſanctis, ac potiſſimũ in confidentia in Deum, & caritate ſincera in inuicem; & ſiquid moleſtiæ, aut perſecutionis pati vos oportebit propter Deum; gaudete & exultate; quia merces veſtra magna erit in cælis.

Hæc

Hæc eſt enim voluntas Dei Patris noſtri vt fides, ſpes, & caritas noſtra per patientiam probetur, tanquam aurum in fornace. Non enim difficile Deo eſſet de omni tribulatione & anguſtia nos continuo liberare: ſed ideo in hoc tẽpore Deus permittit ſuos multa pati, vt glorioſius illos coronet in cœlo, & conformes faciat vnigenito filio ſuo qui nunquã ceſſauit in hoc mundo bona facere & mala pati, vt nos ſuo exemplo erudiret. ex quo fiet, vt ſicut ille humiliauit ſemetipſum factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis: propterea exaltauit illum Deus Pater ad thronum gloriæ ſuæ, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomẽ, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum; ſic & nos ſi patienter tulerimus perſecutiones, & paſsiones exaltabit Chriſtus & confirmabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Non ero in hac epiſtola prolixior, quia ſcio fratres meos qui iſthic ſunt nõ defuturos in omni inſtructione & exhortatione. valete in Chriſto Ieſu Saluatore noſtro, & oremus pro inuicem, vt ſaluemur. Romæ

 die

die 12. menſis Maij 1616. Robertus Cardin. Bellarminus. Inſcripſerat Dominis & Fratribus noſtris in Chriſto fidelibus in regno Sinarum. Hactenus Cardinalis qui tametſi proſpera omnia & nullam procellæ ſuſpicionem à Procuratore audiuiſſet, ac ſi præſentem perſecutionẽ oculis conſpiceret (in eundem enim annum incidit) ita Neophytos noſtros ad eam præparabat, quod ipſum non defuit, qui ex illis ipſis non ſine admiratione aduerteret. Interim rogamus Illuſtriſſ. Cardinalem vt vnico Pauli reſponſo, Latinè reddito contentus eſſe ne grauetur (ſi tamen eum adhuc hæ literæ quod optamus ſuperſtitem repererint) in eo enim vt cæterorum facile principe cæteri animum ſuum teſtatum eſſe voluerunt. Eius Epiſtola non facilè cum ſuo lepore Latinè reddi poteſt, ſtylo enim qui apud Sinas eſt exercitatiſſimus, ipſe excellit in paucis.

Cum ſumma veneratione ſuſpenſus, ampliſsime Cardinalis, ſuſpicio tuæ pietatis amplitudinem, quæ vaſtiſsimo Oceano terminari, nec vltimis terrarum ſpatijs potuit limitari; cuius ſplendor velut ignis ſpi-

ſpiritualis huc advolans hoc noſtrum Sinenſe regnum potuit inflammare. Amplitudinis tuæ literas multi legimus maxime literatorum gradibus inſignes, & Senatores grauiſsimi, ſiue qui Remp. noſtram adhuc moderantur, ſiue qui olim moderati priuatam domi vitam degunt. Ex iis qui nondũ Chriſtiana ſacra profitentur, exarſerunt in imitationem communis veſtræ caritatis, quæ complectitur vniuerſos. Qui verò iam Chriſtũ Ieſum profitemur, concepimus meliora, ſtatuimuſque vires omnes noſtras exhaurire in amore mutuo proximorum, & ita collaboramus omnes, vti Ieſu Chriſti ſanctiſsima religio erigat ſe nouo ardore & maiore indies numero augeatur, donec ſplendorem Solis Meridiani conſequatur. Literati mirantur in remotiſsimis regionibus tantam eſſe poſſe hominum, virtutumque concordiam: populares inſtrui ſe gaudent ac perfici: denique gauiſi ſumus omnes in alieniſsimis regionibus tantum virum reperiri, qui nos non habeat in alienis, neque nos à ſe remoueat, cuius memoria quocunque tandẽ peruenerit, non poteſt non omnibus eſſe

gratiſſima. Deploramus deeſſe nobis pennas quibus aduolemus coram grates habituri, ſed quoniam huius regni legibus fines egredi prohibemur, votis noſtris facere ſatis interdicimur. verum quanta poſſumus obſeruantia ex animi teneritudine, voce in eundem ſonum conſpirante, profitemur, vt poſſumus, quantum amori tanto nos debere ſentiamus.

Quod ad communem eamque ſanctiſſimam Domini noſtri Ieſu Chriſti fidem, quę non ita dudum in hoc regnum penetrauit, quoniam errorum & ſectarum per multa ſæcula confuſio ſine limite ſe dilatauerat, vera lex noſtra exiguum quiddam initio videbatur, & eam pauci primis annis complectebantur, ideo humani generis hoſtis eam rem negligere videbatur. Poſtquam autem aduertit viros ingenij virtutiſque fama celebres non exiguo numero in obſequium vnius ac veri Dei conſpirare, inuidia exarſit, cœpitque formidare ne in exitium fraudum ſuarum hæc noua lex erumperet. Ideo vulpinam fraudem & muſcarum technas orditus eſt, & maximam tempeſtatem concitans ventos

tos & fluctus in cælum extulit, & hacte-
nus littora fluxu refluxuque perturbauit,
nec per ipſum ſtetit quin omnes Chriſtia-
næ fidei miniſtri Societatis Ieſu Sacerdo-
tes regno pellerentur. Verum diuino pa-
trocinio nihil eius artium miniſtri æmuli
noſtri contra veritatem profecerunt, nam
illi ipſi Sacerdotes partim antiquis in ſe-
dibus degunt, partim apud Neophytos,
imo etiam aliquando apud Ethnicos diuer-
ſantur, qui nondũ ſua deſideria de ſequen-
da Chriſtiana religione per baptiſmum
expleuerunt; & nunc omnes confidimus
fore, vt fides noſtra vehementer augeatur.
Amplitudo veſtra metum ac ſollicitudi-
nem de noſtra perſecutione deponat, edo-
cti ſumus ab omnium ſeculorũ memoria,
quoties dæmonum operâ perſecutionum
fluctus intumuerunt, Deum optimum ma-
ximum ita omnia moderatum vt laboran-
tibus ſubueniret. Quin etiam à noſtris ſan-
ctæ legis Doctoribus, ac Magiſtris audiui-
mus aliquando celebrem Ieſu Chriſti Do-
mini noſtri parabolam qua ſanctiſsimam
legem ſuam grano ſinapis comparat, quod
cum ceteris ſeminibus collatũ minimum

eſſe reperitur, verum terræ mandatum, tametſi cum ipſa terra gelu concreſcat, pruina, ninibus, imbribus obruatur, vbi tamen primum ſeſe veris tempus aperuerit, erigit ſe, breuique tempore luxurians cætera olerum genera ſuperat, & in arborem extemplo ſupra ſpem ſuæ ſtirpis euadit; Sanctiſſimi Ieſu Chriſti legis verna tempeſtas imminet, ejus incrementum, curſuſque non interrumpendus non temere ſperatur, donec per multa retro ſæcula, quod ſine fine eſt ac termino conſequatur. Sed hæc ingenij mei exiguitas quomodo explicare poteſt ex parabola arbuſculæ maioris, aut minoris florentis aut emarcidæ?

Amplitudinem tuam rogamus vt apud immortales Deum pro nobis exoret; apud verò mortales Summum Pontificē totius Eccleſię parentem obteſtetur, vt totus incumbat in ſanctiſsimæ legis apud nos incrementum, & ſub ſuo patrocinio & vmbra, Patres noſtros ac Magiſtros Societatis Ieſu Sacerdotes excipiat, vt continuas eorum labores recreans, vires augeat ad eorum onus ſuſtinendum. Optamus itidem

dem omnes vt Amplitudo tua in dies nouis muneribus, & honoribus augeatur. Vnde ad omnes qui ratione vtuntur vitæ melioris perfectionisque beneficium deriuetur. Ex aperto pectore grates innumeras eructamus, & extento collo ſuſpicientes amplitudinem tuam veneramur. Pequini.

Sedes noſtrorum in Regia vrbe Pequinenſi.

VEnio nunc ad ſingulas noſtrorũ ſedes, aut non perpetuas excurſiones in quibus & noſtrorum numerus, & Neophytorum qui Chriſti gregem auxerunt, ac denique reliquus rei Chriſtianæ ſtatus minutius colligetur. In hac ſede bonam huius anni partem Sacerdotes duo, cum totidem fratribus noſtris reſedere, quin etiam tertius frater acceſsit. Nam Ludouicus de farra qui Amacai natus Sinenſibus parentibus ante annos decem in prima adoleſcentia venerat in hac Domini vinea collaboraturus poſtquam ſe patribus egregiè probaſſet, maxime in nuperrima perſe-

cutione; cuius vincula, imo & verbera expertus fuerat in tironum Societatis nostræ numerum est cooptatus. Sacerdotes hi erant P. Gaspar Ferreria Lusitanus huius Domicilij Superior & Pater Franciscus Sambiasi Italus, hi separatim quo secretiores essent commorabantur; prior apud Martinum è Senatu militari Doctorem; eumque illustrem plane Neophytum, cuius domus ab Europæi veterani familia bene Christiana nihil differt, commodè diuersabatur, Posterior apud Paulum illum toties nominatum, & nominandum, Fratres nostri duo, eo in palatio, quod olim Patris Matthæi Riccii sepulturæ ab Rege fuit attributum, morabantur: illud enim hactenus nostris stetit, nouis etiam hoc tempore diplomatis confirmatum: tertius cum Superiore, qui cum in Societatis disciplina tironem exercebat. ad Sacerdotes nostros fratres nostri quoties poterant minimum octauo quoque die Sacrificij, Sacramentorumque gratiâ excurrebant.

Hic erat sociorum status; Ecclesiæ qui sequitur ex eo, quòd id agimus modo adhuc

huc inter ſpem & metum, vt ſtationem noſtram retineamus potius, quàm noua moliamur Chriſtiana res vbique moderatius aliquanto contractiusque tractatur. Id in regia parcius etiam eſt, alibi paulo liberalius nos habemus. hinc factum eſt, vt paucisſimi ad Chriſtum recentes acceſſerint, numerus non ſcribitur, ſed duorum conuerſio aliquid habuit quod perſtringi non videtur indignum. Rixoſa mulier vicinum Neophytum continuis iurgijs eo adduxit vt alio commigraret, nõ ita multo poſt mulier phtiſi laborãs tabeſcebat; Neophytus iniuriarum oblitus ad eam viſendã vxorem deſtinat, ipſe paulo poſt ſequitur. poſtquã audiuit eam inſperata viſitatione molliorem, nõ occludere ſuæ ſaluti aures. breuis ſum, conuertitur, & cũ ingraueſceret malum media nocte, extorſit, vt noſter euocaretur, qui eam inſtructam baptiſmo expiauit: nec à baptiſmo vltra diem alterũ ſuperuixit. Propior diſcrimini fuit ſenex Neophyti propinquus, qui multos annos agnitã veritatem complecti differens, in quatuor quidẽ menſium ęgritudine ſe protat. ad extrema deuenit; tum demũ ſalutarem

aquam ſitiens noſtrum euocabat, is prope ſerius accurrit: iam vox eum, ſenſuſque defecerat. Ingreditur noſter, inclamat: O diuinam prædeſtinationem; vox ei redditur mentiſque ſanitas: baptiſmum petit: inſtruitur quantum ſatis erat; ad omnia tenui voce, vel nutu aptè reſpondens, luſtratur. itaque ſalutari fonte, & eodem prope momento in puræ innocentiæ veſte ad cęleſtes nuptias admittitur. Neophytorum puſillus grex libero licet paſtorum pabulo deſtitutus belle ſe ſuſtinet; id maxime cõſequitur indicto in menſes ſingulos conuentu ad quem è noſtris fratribus vnus rerum diuinarum bene peritus accedit, & quæ apta ſunt monet, aut quæſtionum nodos apte diſſoluit, eum conuentum inflammauit ampliſsimum Pauli Quinti Pontificis maximi Iubilæum cuius vim edocti ex noſtrorum præſcripto conati ſunt etiam fructum percipere.

Hic fuit huius Eccleſiæ ſtatus pacatus, nulloque perturbatore inquietus. Tota dæmonum furia videtur in alterum è noſtris iſthic Sacerdotibus coniuraſſe, ita ille variè periclitatus eſt, mirum vt fuerit

tegi

tegi tandem potuiſſe. Is fuit P. Franciſcus Sambraſi, cuius periculo etiam Paulus noſtrorum aſylum inuoluebatur. apud eum quippe, vt dixi; diuertebat. Id cum totius Miſſionis Superior reſciuiſſet, ſcripſit ſibi non videri vti apud Paulum Sacerdos noſter deliteſceret : ſi enim fortè ibi proderetur, duplex malum & vtrique immedicabile futurum. Interim dum aliud hoſpitium noſtro quęritur, ecce tibi quod timebatur malum: ſummo mane in primo atrio ſcheda inuenitur ab ipſo noſtri Sacerdotis famulo : ea inſcribebatur characterum Sinenſium magiſtro, quo noſter vtebatur : hanc ſchedam famulus ad noſtrum detulerat prius ab alio, quam ſentiretur. ſuſpicio fuit nocte per parietem iniectam; itaque noſter eam reſerat. in hanc porro ſententiam, & ſine nomine legebatur : quid eſt cauſæ cur adſis N. (noſtrum nominabat) homini externo è magno occidènte, qui cum toto terrarum orbe dicitur habere commercium, eum apud N. deliteſce (Paulum nominabat) ipſi iam magiſtratus norunt, non ita multo poſt milites eius palatium obſeſſuri, & externum comprehen-

uri aduenient; ego quia ciuis & amicus tempori te moneo vt tuis rebus consulas; hactenus scheda, characterem quoque ipsum ne dignosceretur, insolita scriptione mentita. Paulus initio rem negligebat: sed tandem patris iudicio cedens, permisit vti se mature subduceret, non procul à Pauli palatio Neophytus morabatur, eo præmonito in eius ædes ab ipso Paulo secretiore porta noster emittitur. In hoc nostri Sacerdotis discrimine Pauli amor tenere se non poterat, in primis è pergula superiore tandiu spectauit; donec noster in tutum se recepisset, inde ad arcenda frigora præter vestes, quibus noster vtebatur addidit stragulum è lana, vestemque Damascenam lana suffultam; aliaque peropportuna, sumptumque Neophyto dedit, quo nostrum lautè haberet, nec intra mensem quo noster ibi delituit tenere se poterat, quin honorario puero vnico comitatus ad eum noctu se conferret, vbi in altam noctem collocuti se mutuo solabantur. Non poterat esse diuturnum ibi nostri diuersorium. ergo à superiore iubetur in ipso sepulturæ nostræ pa-

palatio cum duobus fratribus delitescere ne forte id ad aures Eunuchi prioris Domini, qui nondum spem ædium suarum recuperandarum deposuit, quoquo modo, deueniret. delituit isthic noster nullo sentiente in mensem Martium dimidiatum. nam quo die Diuum Iosephum colit Ecclesia nouum periculum, & superiore longe maius atque præsentius: Eunuchus ille antiquus nostræ sepulturæ Dominus, priusquam ei fisco eriperetur, adhuc in vinculis degebat; sed habet Eunuchum alium suorum bonorum hæredem, & quem sibi in filium adoptauit. eo agente sua negotia, maxime in id incumbit, vt sibi suum Palatium, nostris iam proscriptis ereptum restituatur. hactenus multa: sed amicis nostris contra pugnantibus frustra tentauit.

Hoc anno commodam nactus occasionem extrema omnia molitur. Huius regionis in qua est nostra domus visitator Eunucho Seniori olim fidelis amicus, isque noua largitione recens inunctus, spem fecit illius extemplo re-

cuperandæ: eius igitur mandato munitus cum numeroſo milite, & quatuor apparitorum præfectis totam domum cingit; ne quis elabatur ad amicos admonendos, ideo veſpertinas horas delegerat, vt in vrbem excurrendi, & auxilij petendi tempus deeſſet; priusquam portæ clauderentur; proditus ne eſſet noſter qui ibi latebat incertum. nam fratres noſtros citabat ad Viſitatoris tribunal in diem inſequentem, & de externo nihil loquebatur; aberat tum è noſtris fratribus alter, qui ad nonnulla negotia in vrbem abierat. qui remanſerat, incertus quid ageret, id maxime verebatur ne Sacerdos noſter deprehenderetur, tum enim triumphaſſet; cætera nihil admodũ angebant in amicorum patrocinio facile remedium habitura. Verum Deus aduerſario mentem eripuit, cum enim cubicula omnia luſtraſſet, vnum in quo noſter Sacerdos erat, idque maxime obuium prętermiſit: non erat facile conſilium in re præſenti capere. neque enim excubitores fratrem noſtrum è conſpectu abire ſinebant. Verum feneſtrę cubiculi innixus, famulum quaſi intus eſſet inclamans,

mans, cum Sacerdote nostro per otium velut cum famulo interposita papyracea fenestra colloquitur, & statuit qua ratione posset emitti: Prima iam nocte, cum sub dio frigus vrgeret, voluit se frater noster in cubiculum recipere: vetant custodes eum è conspectu discedere: tecũ ibimus, si voles, sin; hic manebis: noster hanc occasionem eos ab atrio abstrahendi nactus annuit & apposita cæna instructoque foco, vinum etiam propinauit. ad hanc humanitatem concurrunt omnes, & intra cubiculum clausa ianua se à frigore contuentur. Interim qui latebat admonitus per vacuum atrium in cubiculum foribus proximum se prorupit nocte intempesta erupturus quod fecit, cum iam excubitores qui foris excubabant hac illac dilapsi frigidum locum dimiserant. abijt noster & duce famulo in cathecumeni hortulani rusticam domum secessit, & inde in aliam duobus stadijs inde distantem: ibi quod reliquum erat noctis in latericia lectica absumẽs primo diluculo cum primũ portæ patuissent in vrbẽ se immisit, & in antiquũ hospitiũ Neophyti qui eũ è domo

Pauli fugientem exceperat quam occultiſſimè ſe recepit. Qui aberat frater noſter, & alumnus alius cum ſe domum reciperent, intra vrbem admoniti de periculo, alter ad ſuperiorem, alter ad Paulum accurrerunt. Neuter eo die mederi potuit vrbis portis incluſus: Superior apud Deum precibus agebat: Paulus in omnem partem ſe vertebat, totam eam noctem prope inſomnis. Primum cogitauit Neophytum patris hoſpitem eum Senatorio apparatu eo mittere, qui per medios ſatellites irrumpens noſtrum Sacerdotem in eo apparatu educeret. nemo enim eſt qui ad conſpectum Magiſtratuũ hiſcere audeat. poſtea damnato priore, conſilio ipſe ire ſtatuit cum vniuerſo ſatellitio noſtrum vel arte, vel vi educturus. nec periculum cui ſe exponebat attendit: verum vbi primum diluculo intellexit noſtrum periculo eductum vicinis in ædibus occultari, exilijt, & vt eſſet tutior eum extemplo ad ſe adduci voluit; tum ad fratrem noſtrum, quod erat facilius, protegendum, totus incubuit fratrem noſtrum à corrupti Iudicis iniuſtitia liberaret. nihil

hil non egit Paulus; primum ad Iudicem ſcribit de meliore nota, docet quam iuſtè hoc palatium à noſtris teneatur, rogat, vt nihil temerè innouet contra tot tribunalium & Regis ipſius auctoritatem, decennij iam continua poſſeſſione confirmatam. Id efficaciſſimum fuit ex eo quod Paulus inter ſummos Regiæ Senatores hodie numeretur; mittit deinde in tribunalè ſuo ſatellitio, qui fratrem noſtrum ab Eunuchi inſolentia tueretur, mittit tribunalium peritiſſimum Curialem, qui patrocinetur ſubmittit etiam qui Curialium harpyiarum vngues vnguento argenteo hebetet. Superioris etiam iuſſu alter fratrum, qui abfuerat, Neophytis famuliſque comitatus in tribunal venit, imo præuenit. Nō defuere alij quoq; Neophyti qui ſua ſponte fratri noſtri laturi opem ad famam accurrerunt. Ita bonus frater eorum omnium inſcius cum ſe ſolum putaret, inuenit ſe repente fruſtra fremente Eunucho bene ſtipatum. Iudex Eunuchum pro ſe dicere iubet, ille palatium illud ſuum eſſe proclamat, habere ſe literas emptionis multa deinde crimina-

 batur,

batur, fratrem nostrum eo, in palatio scurras, aleatores nebulones, quin etiam meretrices cogere, ibi fœdissimam legem proponi, & his similia, quæ sua falsitate ruebant; eo audito iudex nostrum interrogat quis sit, in regia quid agat, quo iure palatium obtineat. Ad hęc frater noster, ait: se patria Cantoniensem P. Matthæi Riccij, cuius se discipulum profiteatur, Magistratuum iussu sepulturam ei olim à Rege attributam custodire, quæcunque diceret allatis variorum tribunalium suisque ipsos, diplomatis probare; ea protulit: & Iudex omnia per otium euoluit. Iam ad Eunuchum conuersus, clara est in his diplomatis eius, quem accusas, iustitia: nihil possum contra eam innouare, fisco regio attributam sepulturam si emisti, pretiũ perdidisti: ad hæc ille multa blaterans ad calumnias conuertitur: verum noster ita eas confutauit, vt mentitum se esse puderet, & quia nihil in fratrẽ nostrum poterat, in Neophytum domus custodem iram conuertit, eum de varijs accusat: quæ tametsi Iudex falsa esse non dubitaret, iniustè tamen, ne nihil Eunu-
chi

chi clamoribus daret eum leuiter quidem, ſed tamen ictibus quinque vapulare iuſſit, fruſtra reclamante noſtro eumque innoxium proteſtante: Eunuchus turpem repulſam paſſus, in Paulum noſtrum cuius auctoritate mutatum Iudicem ſenſit impotenter inuectus minari cœpit ſe infames de eo libellos tota regia ſparſurum. Et cum ſimiles de Paulo querelas apud Senatorem quendam & ſuum & Pauli amicum deponeret, obiurgatus eſt. erras, inquit, Paulum non noſti: quod fecit amico ſuo quondam Matthæo Riccio debuit: amici fuit, amici ſepulturam tueri: vera amicitia morte non interrumpitur, ſatius feceris ſi eum tibi adiunxeris, nihil eius amicitia tibi detrahet, auctoritas aliquid addet; ego me ſequeſtrum interponam, ſi me audieris; quoniam proxime mihi & alijs conuiuium paras, eum per me inuitabis, omnia ſecundum ius faſque componemus. Non abnuit Eunuchus parum nocituras minas animo iam molliore deponens, inuitatur Paulus, ante conuiuium itur in ſepulturam, cum fratre amicitia

componitur, qui & ipſe quoque ad conuiuium abducitur: ita Eunuchus (quanquam os) ſilet, inuitus: frater noſter non ita multo poſt præter huius Iudicis ſententiam nouo diplomate ex eodem Tribunali, viſitatoris videlicet illius regionis in qua eſt ſepultura, ſuperiorum omnium diplomatum confirmationem impetrauit. Ea re queſtus eſt Eunuchus initam amicitiam violari, cum qua diffidentia non bene conuenit. Verum dolet ille poſſeſſioni noſtræ robur additum. Nam Eunuchi amicitiæ fidendum quamdiu quisquã ſe facturum deſperauerit. Hoc duplici metu liberati Deo grates, vt par erat, maximas habuerunt.

Amicus noſter licenciatus ille quidem ſed nullo munere publico illigatus in regia primorũ omnium familiaritate notiſſimus hoc anno libellum aut librum potius, quia prolixior, ad regem tranſmiſit; quo libello faſtorum Sinenſium errores ſatis apte aperiebat, & à Rege poſtulabat vt ad eorum correctionẽ ab auo ſuo tentatum animum adderet; in eam rem Doctores noſtros Paulum ac Leonem in pri-

mis proponebat, deinde nostros ad id operis omnino necessarios euocari petebat, ea res effectum sortita non est, quod alieno tempore tentaretur. Rex enim Tartarorum bellum, aui, parentisque funus, & suas nuptias causatus, rem totam in tempus ociosius indicauit differendam. Id ex eo consecuti sumus, constare toti regno regem ipsum, & omnes Regiæ Magistratus conscios nostros non omnes regno excessisse, nihilque præteritam exilij sententiam morari, qua ex re sensim in pristinam libertatem reuocamur, & amici nostri quotidie securiores rebus nostris fauere minus reformidant Et hæc de Pequinensi domicilio sint satis; nunc ad alias sedes, quæ sunt in meridianis vt Sinæ vocant regni prouincijs veniamus.

De Nostrorum domicilio in Chequiana prouincia Metropoli Ham Cheu appellata.

IN hoc nostrorum domicilio totius expeditionis Superior residet, hoc tempore, quo excursiones ad lustrandas domos cæteras minus commodè institui possunt.

hinc factum est, vt nostrorum numerus non diu fuerit idem, sed maior, cum ad eum recurritur, minor cum hinc alio excurritur; quieta toto anno fuerunt omnia etiam in oculis æmuli nostri qui tanto conatu ad nostros regno pellendo nuper incubuit. Id secundum Deum debemus Michaëlis grauissimi Doctoris auctoritati; apud quem diuersamur, is neglectis, aut potius constantissime reiectis amicorum propinquorumque consilijs, qui eum hoc, vt arbitrantur onere liberum vellent: profitetur se nostros domi suæ habiturum tametsi ex ea re capitis illi discrimen immineret.

Id in tanto viro tot vinculis opum, honorum, liberorum illigato, magni ab omnibus non immerito æstimandum, in quo gratia, ius, & religionis ardor sese prodit apertissime; in eoque vitæ & obsequij diuini instituto sibi semper similis perseuerat.

De hac sede primum dicemus, tum excursiones quæ hinc prodierunt singulas prosequemur & primum hoc de quo agimus anno, ad Christum accesserunt octo

supra

ſupra ſeptuaginta, qui cum his collati veterani dici poſſunt, maximam partem, non tepide quam legem ſuſceperunt, perſequuntur. De vtriſque priuatim pauca ſeligam, multa prætermittam. Imprimis offert ſe Pontificij iubilæi, fructus in hoc domicilio ſupra, quam credi poteſt in hac nouella Eccleſia eximius, auſim dicere nihil ſua proportione Europææ pietati ceſſiſſe. Primum enim in diem ſolemnem indictus celebrior Neophytorum conuentus ad eum de indulgentiarum vi, de ſupremæ ſummi Paſtoris auctoritate oratio, quæ in audientium animos ita penetrauit, vt incredibiles animorum motus excitarit: multis omiſſis, duorum familiarium ardorem proſequamur. In hac vrbe duæ ſunt Chriſtianorum Doctorum familiæ nobiles atque numeroſę. nam ſingulę in domeſtico famulatu ſupra centum numerant. In earum altera Doctoris Michaëlis commoramur; ab vniuerſa domo certatum confeſsionibus, ieiunijs etiam Europæis, quæ Sinenſibus perdifficilia videntur, aſſuetis ſępius in die refici. Ad peccatorũ confeſsionẽ non ſolũ viri, ſed etiam

mulieres concurrerunt, quarum apud Sinas tam arcta est custodia, vt fidem superet si Europæis euulgetur: earum rite instituendarum tanta fuit cura, vt cum admonitæ fuissent passuras repulsam quæ minus aptè de fidei mysterijs interrogatæ responderent, ne tanti thesauri beneficio priuarentur, à capite denuo instrui postularunt, eo fructu vt instructissimas se stiterint Sacerdoti. Altera familia est Doctoris Leonis de qua nihil minus credi, nihil amplius scribi iusto, potest: solus ipse Doctor priuatim laudandus est, quia se supra cęteros extulit. Nam postea quàm de vniuersa vita confessionem facturus dies aliquot se collegisset, ea peracta ita permotus est, vt domum reuersus famulos omnes coram euocarit, ibi coram omnibus Neophytis & qui adhuc supererant Ethnicis professus est vehemēter dolere se, quod hactenus frigidius Christianæ fidei sanctitatem persecutus, offendiculo fuisset omnibus, dolere se etiam, quod neglectius procurasset, vti qui nondum è suo satellicio Christum sequebantur, eum agnoscerent, vtrique malo velle se omni-

no mederi. Ergo præſentem huic orationi famulum Fauſtinum nomine, adoleſcentem illum quidem ſed notæ innocentiæ ac pietatis ad ſe propius auerſit, eumque compellat in hanc ſententiam: volo in poſterum vti me nõ vt herum ſuſpicias, ſed vt fratrem complectare, ac me quoties in rem Chriſtianã quippiam peccare videris, ſerio admoneas extemplo correcturum. Nec Fauſtinus quo eſt ingenuo ardore ſuccenſus id prętermittit, nec herum ille ſolum, ſed cæteros omnes domeſticos ita continet, vt eum omnes vereantur, & ament, vt dici poſsit Fauſtinus non illius familiæ famulus ſed vnius pagi Paſtor. Et quoniam de Leone agimus aliud quoque eius præclarum factum adiungam. quia nec tempore nec materia videtur alienum. Solent Sinę Magnates maxime cum ſenuerint, ipſi dum viuunt inter filios bona partiri, à quibus deinde apuntur ad mortem; aut ſibi quippiam reſeruant, quod in vitæ reliquum ſit ſatis: huius partitionis tempus liberum eſt, ſed ferè non fit niſi iam ætate in extremam ſenectutem declinante. Ad eam ætatem

nondum

nondum peruenit Leo. nam quintum ſupra quinquageſimum non excedit: voluit tamen in regiam iturus ad publicum munus capiendum prius hoc onere ſe expedire. Ergo in libellum refert quam portionem alterutri filiorum, quos duos habet ex æquo bonoque partirentur. (filiæ quippe apud Sinas poſt dotem aliam nullam portionem paternę hęreditatis impoſterum adeunt). Hunc libellum in altari dum ſacrificaretur reponit: ſacrificio peracto filios accerſit, & coram ara Chriſtique Seruatoris imagine vtrumq; ita compellat, vt alter Iacob teſtamentum condere videretur: Adeſte filij: volo vobis eam portionem quæ vos tangit hodie tradere, idque mature vt videtis, quia volo vos rem veſtram velut patresfamilias adminiſtrare. Verum vnum moneo nihil horum meum eſſe: quod à Deo primum accepi, hoc vos ab eodem per me accipitis, atque ita grates ei referendæ: ſanctiſsima illius lex, quam primi ex hac noſtra familia profitemur, exactiſsime ad mortem obſeruanda. Cauete porro ne harum rerum, quas hodie ab eo accipitis

vſu,

vſu, aut potius abuſu in eius contumeliam peccetis, hoc enim eſſet crimen atrociſſimum, quod præſentem etiam in hac vita pœnam euocaret. Porro ſi exaduerſo his bonis locupletati vos vt homines ratione præditos, & vt Chriſtianos fide illuſtratos habueritis, procul dubio in animo ſimul & corpore maiora indies beneficia cumulatius recipietis. Macti ſtate filij cariſsimi & Parentis veſtri conſilijs acquieſcite, cuius in vos amorem modo cognoſcetis, quod ſe ſuis ſpoliat diu antequam per ætatem conſueto curſu debuerit ſpoliari. Hactenus ille; qui nunc etiam è regia nihil frequentius monet, quam vt Chriſtianè viuant, & cum noſtris frequentes ſint, omninoque vult, vt nullo menſe domi ſuæ Miſſæ Sacrificium inuitato noſtro Sacerdote omittatur: quo tempore noſter ibi dies aliquot commoratus familiam inſtruit, in qua Leonis mater, & vxor inſigni pietate filium & maritum imitantur, & ſi auſim dicere fortaſsis etiam ſuperant. Non fuit in noſtros parcior Leo quam in filios,

lios, cum enim centum aureos trium annorum ſummam mutuo acceptam ei reſtitueremus; ait: ſeſe iam eam Domino, conſecraſſe, ergo miſſam remiſit, & in ara collocatam Deo dedit, non tenue apud Sinas donum.

Nondum abire poſſum à noſtris Doctoribus, qui vt primi ſunt inter cæteros dignitate, ita nulli cedunt pietate. Doctor Michaël in annonæ publica caritate ciuibus ſuis egenis magnopere ſuccurrit. nam auctoritate qua valet apud Magiſtratus effecit, vt in operas publicas publico ex ærario ſubueniret; ipſe priuatim quadringentos orizæ ſaccos (viri onus ſinguli) de horreo ſuo ſegregauit quos in pauperes viliore pretio, quam extra caritatem diſtraxit: quo exemplo alios induxit; ne, quod fit, comeatum in maius pretium reſeruarent.

Idem alias Neophyto apud Iudicem falſo accuſato, & periclitanti generoſe ſubuenit, in hunc modum: Neophytus e uulgo Zai Simon appellatus, nepotem ſuum adoleſcentem, culpæ neſcio cuius reum, modeſtè caſtigauerat. Id ethnicis

vicinis

vicinis displicuit, exprobrantibus hoc pugnare cum legis, quam profitebatur, mansuetudine, quæ externos etiam amore complectitur, nedum propinquos insectatur: se cum eo hactenus dissimulasse: sed modó eum ad Magistratus peregrinæ legis nomine delaturum; nec minæ solum fuerunt. Neophyti nomen ad vicorum Præfectum deferunt. his fortè Magistratus non ita multo ante iniunxerunt, vt de duarum Sectarum sectatoribus, quæ apud Sinas multorum scelerum nomine male audiunt serio inquirerent; hi vel maleuolentiâ vel sectarum discrimina minus attendentes (nam de Christiana lege, quę apud Magistratus passim bene audit, nihil edictum fuerat) Neophytum ad proprium vrbis moderatorem vinctum producunt. Is dum in tribunali sederet, eum arctè custodiri iubet: & sane Neophytus vincula euasisset, si vicorum præfectis rogantibus Christi Seruatoris imaginem exussisset: quibus ille; idola vestra exuram, ac pedibus teram si vultis: sed hac iniuria in Deum meum non redimo vincula. Cum hoc Doctor Michaël audiuisset, veritus

est,

eſt, vt vir ſimplex de Chriſtiana lege interrogatus minus aptè, vir plebeius pro tribunali minus liberè reſponderet. ergo ad ipſum Iudicem mittit qui renuntiet eum quem ſibi ſiſti iuſsit & habet in vinculis N. ſuum eſſe, qui ſi Chriſtianu legis reus agitur, poſſe quoque Iudicem vincula ſibi totique familiæ ſuæ inijcere. ſi enim crimen eſt Chriſtianus eſſe, in eodem ſum crimine, cum eiuſdē legis me meoſque omnes profitear Sectatores. His auditis Iudex intellexit reum eſſe Chriſtianum non peruerſarum aliarum legum ſectatorem: intellexit etiam gratũ Michaeli fore, ſi reum dimitteret: ergo cum in tribunal ventum eſt, quærit Iudex quam legem ſequatur. At ille cæli Domini, ait: quam alii multi palam etiam Senatores grauiſsimi profitentur. Cui Iudex liceret eam mihi ſequi nec ne? quid ni? ait Neophytus: Licet tibi quod bonum eſt profiteri; tum Iudex ad delatores conuerſus acriter increpitos à ſe dimittit; faceſsite, ait, & ſectarum quas edixi ſectarios, ſectamini: Chriſtianæ legis, quam omnes bonam & quieti publicæ conſonam norunt

runt dimittite Neopolemum autem liberum abire iussit, eique suam effigiem, quam delatores in iudicium attulerant cum honore restitui iusit.

Claudam longum de Michaele sermonem nobili facto eximæ in Neophytos vita functos charitatis. Non ferebat vir pius tenuiores, qui sepultura carebant communi cum Ethnicis tumulo sub vrbem ex more fædari, itaque suo & sumptu & auctoritate perfecit, vt Neophyti agrum suburbanum bene magnum proprium haberent, eumque muro cinctum vndique & Sacello etiam ad piacularia sacrificia exornatum; eum agrum priusquã in eum mortuus aliquis inferretur in cœmiterii formam Ecclesiæ Romanæ ritu dicatum voluit, ea pompa, & Neophytorũ concursu quo fieri potuit maximo. His ritibus quibus Sinæ magnopere delectantur indies maximè in arrepta religione magis magisque confirmantur, quam vident tanta Maiestate Deum verum colere, & sua sacra peragere. Plura de Michaele dici poterant ac fortasse debuerant, sed quoniam quædam inchoauit, & pro

iniuria temporum coactus intermisit, omittuntur tametsi bonis principijs verbũ vnum negari non poterit. Instituerat enim domi nostræ, imo suæ Academiam duplicem, vnam in qua de Christi lege, alteram in qua de scientijs Europæis (Sacerdote nostro Præside) disserebatur. Res ibat ex voto, & mirum quam suspiciant in nostris vtrumque, sæpe vt admiratus Leo diceret; multa pia hos rogamus, ad omnia respondent aptissimè, multa rogamur à Patribus, & sæpe obmutescimus: Michael vero frequens aiebat: nunc patet clarissimè quàm in religione ac scientijs multa nobis deessent, & quàm leuiter non leuia sola superficie contenti tractatemus.

Verum hæc de Doctoribus satis, ad alios dignitate inferiores descendamus. In primis offerũt se duo, & sanguine inter se propinqui, & Christiana pietate non dissimiles; literatus vnus & fidei nostræ mysteriorũ egregiè peritius alter Chã, & Michael à P. Matthæo Riccio Pequini, olim in Christianorum numerum cooptatus, de quo alias in annalibus sæpe: & cũ eo Paulus

lus in Christiana fide recentior in hac Metropoli baptizatus : vterque hoc anno ad Amacaenses tormentorum aduehendorum gratia amandatus, Christianę legis Maiestate in libera ciuitate sese recreauit & hac occasione ab Iaponensi Antistite qui ante annum ex Europa aduenerat confirmationis Sacramento sunt inuncti quod vt rari Sinenses assequuntur, ita magni faciunt, & ad suos referunt quæ viderunt & audiuerunt.

In hac excursione cum in Cantoniensi Metropoli sua negotia procurarent cùm Paulus in grauissimum morbum incidit ex quo iam ad extrema deductus cum humanum in arte medica præsidium desperaret ad Beatissimam Dei parentem ex animo confugit, & nihilominus ad Christianam mortem se comparauit : porro cum Sacerdotem habere non posset, socio sua peccata confessus est : non quod arbitraretur se ab eo posse à peccatis rite absolui, sed quod audierat id valere posse, siue ad dolorem de peccatis acrius excitandum, siue ad sumendum de se pœnam, quam pudor in se aperiendo semper

ſecum aliquam trahit: huic peccatorum confeſsioni addebat contriti cordis actiones, in quibus exercitandis Neophyti ad omnem caſum in hac Sacerdotum penuria ſolent addoceri: Socius in hoc amici diſcrimine, nullum niſi in cælitibus refugium inuenit; ergo incenſis ad ſacram effigiem cereis, & odoribus duas horas genibus nixus pro ęgro votiuas preces fundit: res mira, ſed digna quæ credatur innixa vel talium virorum fide, vel præſenti Neophytorum pietate, quam è cælo frequentibus prodigijs, vt recentem, non eſt abſonum irrigari. Ægro igitur cæli Regina tribus Angelis ſtipata ſe viſendam dedit, & mox, vt oculos clauderet imperauit: tum claram vocem audiuit, quâ ritè contritus, & ex hac ægritudine minime moriturus dicebatur cum hoc viſo confirmatus nõ nihil ad ſe rediiſſet, quærit ex ſocio, quid viderit; ille, nihil: ita ne tu magnam illam lucem nõ vidiſti nec ſacratiſsimam virginẽ trium Angelorum Comitatu ſtipatam? nihil horũ, inquit ille, vix adducor vt credam, ait æger: qui enim fieri poteſt, vt ego cæleſte

visum conspexerim, qui nondum ad Eucharistiæ Sacramentum admittor, tu vero cui iam ad sacram mensam accedere licet non videris? Ex hac socii ratione in cupiditatem venit Cælorũ Reginæ precibus vrgendæ vti se quoque sibi in conspectum daret, non aduertens hoc, vt erat minus necessarium, ita vocari posse curiosum: sed sanctæ Neophytorum simplicitati non nihil indulgendum; ergo dies aliquot continuis ieiuniis instat & precibus & noctu corpus maceraturus in nuda humo pernoctabat. verum post dies aliquot audire sibi visus est interius qui diceret hanc, quam alias D. Thomæ dictam audierat, distincte sententiam: Beati qui non viderunt & crediderunt. qua voce doctus ab inutili postulato abstinuit, sed tamen ieiuniũ dies adhuc aliquot prorogauit. Hoc cælesti viso recreatus æger, die insequenti cũ à medico viseretur, intellexit omnino sibi opem allatã è cælo. admirans enim ille, negauit artis medicæ præsidio vltra indigere; nec in corpus solum vis celestis penetrauit, in animo fuit ex eo tẽpore magna mutatio & ad antiquã pietatẽ

insignis accesſio notata eſt ab ijs qui eum ante cognouerant. Hęc illi ſæpius interrogati noſtris narrarunt: multa ſunt quæ credi poſſe perſuadent, vt fuerit, res cum fide narrata eſt: cuiuſque ſenſus, quod volet, pondus dabit.

Hæc de Neophytis paucisſima, de Ethnicis Chriſto aggregatis ſeligamus. Pequini annis ſuperioribus mercator Chriſtum agnouerat, reuerſus in patriam collegam ſuum de mutata religione certiorem fecit, eique perſuadet, vt eam profiteatur, extra quam nulla omnino eſſet ſalus. & quoniam noſtri longisſime aberãt nouę legis cupidum etiam baptizat: Verùm ille fidem mutauerat, non mores, nihil enim moratus legis noſtrę ſanctitatem in antiqua peccandi libertate volutabatur: qui eum ad Chriſtum adduxerat, non tulit ſanctisſimæ legis iniuriam: ergo tironem acriter obiurgatum eò etiam adducit, vt in hac Metropoli, quo eum negotia vocabant alteram poſt naufragium tabulam quæreret: venit; & inuenit noſtros, narrauit proximè narrata, & quoniam ex eius narratione dubius inexerci-

tati

tati magiſtri baptiſmus videbatur, addita conditione de more repetitus eſt: inſtructus denuo, peccatiſque expiatus, ad ſocium rediit gaudij plenus, quòd omnia ſupra expectationem meliora reperiſſet. inciderat enim in diem ſolemnem eius aduentus, quo & ſacrificij nondum niſi maieſtate & nobili Neophytorum cœtu caperetur.

Coniuges duo continuis iurgijs ſub triſti iugo gemebant, Maritus Dei beneficio Chriſtum, neſcio qua occaſione vt agnouit, ita mutatus eſt vt etiam rixas vxoris vltro negligeret. Ea virum alterũ mirata, id, quod erat intelligens maritum ita compellat, eſſe te iam alterum, debes quam nuperrime ſuſcepiſti legis nouæ ſanctitati, quam oportet omnino quippiam eſſe Diuinum, cuius vis in animos penetrat: viciſti me; do manus, trahamus idem fidei iugum, doceri volo quod didiciſti, & docta baptizatur. Inter eos qui Chriſto adiuncti ſunt neſcio vtrum admirer magis, an electionis Diuinæ prodigia, in ætate decrepita vitijs feſsis, an in prima infantia ſpem ſalutis præmatura mor-

te amiſſuris: ex vtroque genere exempla ſuppetunt: decrepiti duo tantum ſimulacrorum numerum per longam ætatem coëgerant, vt quo die baptizari eos oportebat, domum noſtram oppleuerint. ex omni genere monſtra in vnã pyram coniecta diuinitatis affectatæ pænas, igne dederunt. Infantes aliquot in extremo vitæ diſcrimine luſtrati & nec aduertentes cælo intruſi ſunt. Horum ſagaciſsimum venatorem habemus domeſticum famulum, qui olim ſacrificulus, hodie ita apud nos viuit, vt vulgo ſanctus habeatur. De quo vt alias multa, ita hoc anno non plura rerum ſimilitudine contenti referemus. de hac Metropoli ſatis: nunc per varias quæ hinc egreſſæ ſunt excurſiones rei Christianæ cauſa excurramus.

De excurſionibus ex hac Metropoli institutis.

PRima occurrit in nobiliſsimum emporium Yam Cheu nomine Prouinciæ

Nan-

Nanquinensis quo nostri nunquam hactenus rei Christianæ causa excurrerant; Emporium hoc è frequentissimis huius Imperij, distat ab regia Nanquinensi diei vnius ac dimidiati itinere, inter Boream ortumque in eleuati poli gradu altero supra trigesimum ac dimidio, eo in situ qui fere medius est à meridie in Boream huius regni, tum propter aëris temperiem, tum propter fluminum ex quibus eo concurritur commoditatem frequentissimum est, sed idem ob delicias morumque dissolutionem male audit in paucis, dignum vt videatur, in quo non inutiliter nostrorum desudet industria. In hanc vrbem excurrendi hæc se nostris nihil minus cogitantibus obtulit occasio, hoc enim tempore nostra retinere conabamur, aggredi noua vix sperabamus) Fuerat in regiam è Xensi prouincia Legatus ad Regem, Senator grauissimus Doctor cognomine Má: nomine San chi quasi dicas flos triplex, in regia cum Paulo nostro (qui bonam in omnibus bonis partem habere procurat) eius in Doctoratu Collega de nostris, de

Europæ ſcientijs, deque Chriſti lege colloquens multa didicerat. Ea legatione perfunctus priusquàm Spartam ſuam, dignitatem intelligo, in prouincia Xenſi repeteret domum reuiſit quam habet in hoc, de quo agimus, emporio ab annis plus minus quinquaginta, oriundus enim eſt è prouincia Xenſi Doctor Paulus quia hominem nouerat non ſolum è colloquio permotum ſed multo magis ea indole, ijsque virtutibus præditum quæ ſpem faciunt hominem alioqui Ethnicum à Chriſti fide non fore alienum, occaſionem capiens ex eo quod Neophytus è militari Senatu nō maximus Cham Lucius ab Regia reuertebatur in patriam, cui ex itinere emporium Yam Cheu occurrebat, per eam ad Doctorem Má literas dedit, quibus literis denuo eum nuperrimi colloquij admonebat, eratque illi auctor vt ex Nanciana Metropoli fratrē noſtrum Sebaſtianum Fernandez Matthæi Riccij quondam diſcipulum accerſeret, fore vt ex eius congreſſu ea diſceret, quorum per vniuerſam vitam nunquam pæniteret. Has literas Lucius iam præmonitus ita locu-

locupletauit, vt eo intercessore qui suam operam offerebat fratris nostri aduentum postularet: Noluerat initio Paulus nostros proponere, ne temere eum aggrederentur, de cuius propensa voluntate nondum satis constabat, maxime quod frater ille noster iam senex, sit vir prudens & rei Christianæ peritus in paucis, cuius magna laus est in Euangelio, quique hoc maxime curat, vt apud Sinas ciues suos Patrum auctoritatem semper augeat, dũ quidquid proponit candidè se ab ijs didicisse profitetur: Per Lucium igitur Doctoris litteræ ad Superiorem totius Missionis destinantur. Nec mora tanti viri ad Christum aggregandi occasio arrepta, mittitur frater noster instructus monitis ac literis tum Superioris, tum Doctoris Michaelis apud quem diuersamur. Iter in summo frigore sane permolestum nec sine discrimine, de quo tamen eum Dominus liberauit. Latrones enim duo in flumine nauigia deprędati à fratris nostri nauigio, quod erat in conspectu medium, sibi temperarunt. Vndecimo die appulit in Emporium: excipitur à Doctore per-

huma-

humano conuiuio, & reliquo ritu Sinensium apparatu. Inuexit in eo maiorem Mathematicarum disciplinarum quam fidei Christianæ cupiditatem, tametsi spem etiam faciebat de religione tractandi. Ex hac eius propensione frater noster quod intendebat aggressus; profitetur aliqua se posse, quæ velit: sed si malit è fonte quam è riuo suam sitim sedare, accersendum esse Europæum Sacerdotem ex eadem cum Matthæo Riccio Societate esse, qui expedire Sinensi sermone possit cum eo de Mathematicis disciplinis deque religione conferre. Doctor noua cupiditate incensus in Nancianam Metropolim suos cum sumptu, debitoq; apparatu destinabat, qui nostrum adueherent, verum frater noster restitit satius sibi videri; si cum suis literis rediret ipse nostrum adducturus; venit post mensem cum supplicibus literis ipsum Michaëlem interpellans vt sua auctoritate efficeret, quod nesciebat à nostris vehementer optari. Delectus est in hanc expeditionem P. Iulius Alenis Italus patria Brixiensis Mathematicę rei peritus & Sinensis linguę. Is ex Nanciana Metropoli

poli ſoluens ſexto die peruenit, quo tēdebat in peruigilio D. Matthię Apoſtoli. Iter hoc eſt plane nobiliſſimum, nam intra ſex dierū iter octo nobiliſſimę ciuitates pręter oppida minora viſuntur, & omnes ad ripā fluminis ſitæ, quarum hæc ſunt nomina Ham, Aheu, Sucheu, Chamcheu, Nuſic, Tamyam, Chimkiā, Quachen, Yamcheu. Doctor de hoſpitis aduetu certior factus, mittit è ſuis qui exſcendentem excipiant, aſsignato iam domi ſuæ muſeo ad diuertendū percōmodo. Muſęa huiuſmodi ſtudijs ſuis addictiſsimi habent vel ruri quaſi Tuſculum, vel domi ſuæ in remotiore à domeſtico tumultu portione; vbi hortulū ſuum & plura cubicula ſeparatim à reliqua domo habent. Eo die ſacellū loco decentiſsimo concinnatū; eo tota domus accurrit ad viſendā & adorandā Chriſti effigiē; qua occaſione noſter Sacerdos prima de Deo verba faciens ſemen proiecit meſsis paulo poſt colligendæ. primos dies munuſcula, conuiuia, hoſpitū viſitationes, occuparunt, quę omnia velut ſępe in noſtris annalibus repetita prætereo. Sedato tantiſper nouitatis tumultu, Doctor qui noſtros libros interim euoluerat, quos inter cętera

mu-

munuſcula receperat in varias quęſtiones effuſus totum ſe Mathematicis diſciplinis dabat; quo tempore acre illius ingenium, ſeſe prodidit, non enim ſolum perfacile audita capiebat, ſed ipſe per ſe non raro è conſpectis figuris ſenſum eruebat: quæ audierat ille eum admiratione per amicos qui ad eum fortè veniebant, cum Europæ commendatione ſpargebat. Verum paucos dies eum tenuit ſciendi cupiditas, eſca fuit, qua illectus hamum non exhorruit. Cum enim vt fit, ſermone alio in alium lapſus de Chriſtiana religione ſermonem inſeruiſſet, Sacerdotem noſtrũ, qui maiore ſpiritu hæc quam priora tractabat, audiuit attentiſsimè, & qui dat verbum Euangelizantibus virtute multa, hominem repente mutauit, & ita exinde exarſit; vt poſt quintum diem Chriſti iam diſcipulus futurus, eius doctrinæ compendium ex ara, quo ritu ſolet, acceperit; quo facto cathecumeni eſſe cenſentur. Neglecto igitur poſthac Euclide, cæteriſque, à cælo ad cæli Dominum facta tranſitio. Inde nullo non die matutinas horas à domeſticis negotijs & viſitatorum

torum concursu liberas huic salutis suæ negotio consecrabat: non diu restitit veritati. nam intra mensem Annunciatæ Virginis die solemni, salutaribus aquis illustratus, est non sine magno huius Ecclesiæ gaudio, cuius magnopere interest huiusmodi pisces intra sagenam educere. In baptismo Petri nomen sortitus est, quo eum nomine deinceps appellabimus; non temere ominantes eum huius Ecclesiæ petram in hoc initiorum fundamento futurum.

Priusquàm ab eo recedamus, nonnulla de eo inserenda, vti iam notior esse annalibus nostris incipiat, qui modo Christum agnouit. Nobili loco natus, & suo Marte Doctoratum assecutus, grauissimos Magistratus hactenus gessit, geretque continuo cursu maiores. Rara est indole, & in Ethnico priusquàm Christum profiteretur admirabilis, ingenio raro, sed minime elato, humanus, vrbanus, homo rectus, in quo nihil fictum, aut incutiens, quod apud Sinas rarum est, qui astutiam à prudentia vix nisi forte in literis separent: domi parcus, splendidus foris, aut

si

ſi quos habet fortè conuiuas incorruptus Iudex, & qui largitiones deteſtatur; in munere publico accuratus, ſed idem expediens. Hæc omnia innato quodam perpetuæ alacritatis lepore condiuntur. His omnibus conſequitur, vt omnium amorem ſine cuiusquam inuidia conſequatur. Et ſanè ad eius commendationem non parui facit, quod cum regionem integram decem plus minus vrbium in prouincia Xenſi magna omnium comprobatione gubernaſſet, ad eius laudem publico regionis nomine duo libri prodierunt hoc titulo N. te chim quaſi dicas N. ex virtute gubernatio; ijs in libris varij caſus referebantur quibus ex virtute munus ſuum geſsiſſe oſtendebatur; referam vnicum toti prouinciæ gratiſsimum: ſi quem contigerit apud Sinas violentas ſibi vel laqueo vel epoto veneno inferre manus, Magiſtratus grauiſsimis pænis eos omnes proſequuntur de quibus ſuſpicio eſſe poteſt, quod huic morti cauſam dederint: vnde vt non raro infimi homines, cum iniurias vlciſci aut debita diſſoluere ſe poſſe deſperant impotentiſsime in ſeipſos cru-

crudeles, facilius ſeipſos conficiant, quod in de ſciant magnum malum ſe ijs paraturos à quibus in hanc deſperationem adiguntur. Ita fit vt Magiſtratuum rigor & ſæpe plectat innocentes, & ſemper hanc vulgi rabiem foueat, atq; confirmet. Doctor Ma cum adhuc eſſet ethnicus hanc rabiem ſtitit in eum fere modum quo apud Spartiatas virgines ſimili furore correptæ cohibitæ ſunt. Vnus aliquis vitam ſibi laqueo eripuerat. Doctor eam rem diligenter excuti iuſſit, vbi conſtitit eum proprijs non alienis manibus extinctum, cadauer per vicos raptatur ad ignominiam atrociſſimèquę verberatum efferri mandauit. Nec vllam quæſtionem haberi voluit; nedum vexari eos quorum fortaſſe ini uriæ hominem ad hanc inſaniam redegerant. Ea res tantum potuit vt reliquo tempore nemo in tota illa regione ſibi mortem intulerit; nam etiam ignominiam poſt mortem exhorreſcunt mortales, & quoniam nulla ſperabatur, vindicta noluêre nullo fructu tantum malum ſibi inferre.

Hæc aliaque maiora faciebat Ethnicus,

ſed de eo iam Neophyto potius agamus. hoc ipſo tempore quo Chriſtum agnouit, in re parua non paruum Chriſtianæ manſuetudinis exemplum dedit. Phaſianorum par ex prouincia ſibi dono datum domum aduexerat; & habebat in delicijs: quia iſthic rariores; eorum alter fortè auolarat, quem Notarius quidam clam retinebat, non neſciens eum Doctoris iuſſu tota vicinia conquiri; erepit tandem fama furti: doctor admonitus, qui putabatur iracundia exarſurus, & Notarium ſeuera verberatione mulctaturus, alia fecit omnia. Mittit ad hominem vulgarem cum viſitationis libello ſericos pannos, aliaque id generis; rogat vti phaſianum ſibi ſuum reſtituat, ſi quidem eo carere non ſit illi incommodo; expauit nuntio Notarius: nec quicquam muneris allati auſus contingere; ipſe cum phaſiano ad Doctorem accurrit, veniamque deprecatus impunè dimittitur. Ea res vt eſt in primoribus viris inſolens, ita etiam ſua raritate commendabilis. Sed quę ſunt inſtituto noſtro propiora tangamus. Priusquã in Chriſti gregem aggregandus baptiſmo initiaretur, cum

cum de Domini Iesu tormentis & acerba morte cathechisticã prelectionem attentissimè percepisset, inuitatus est à nostro Sacerdote vt eius in cruce pendentis effigiem postridie veneraturus se cõpararet in sacello: ad eius conspectum ita permotus est, vt in lachrymas totus effunderetur, & in posterum tenerrime de hoc semper mysterio sentiret. Alias cum primum sacras preces, orationem Dominicam, ceterasq; ad aram recitaret. id tanto fecit animi sensu, vt spiritum ægrè traheret, tantæ Maiestatis præsentia à seipso deficiens.

Parentis exemplum vnicus eius filius magnæ spei adolescens annos natus tredecim non distulit imitari, nec per eum stetit, quin vno cum parente renasceretur. Verum parenti visus est adolescentis ardor aliqua mora incitandus. ergo in diem Philippo & Iacobo Apostolis sacrum differtur, quo die vna cum cognato suo annorum decem & octo adolescente Christi sacris initiati, Doctoris filius Philippi alter Matthię nomẽ accepit: & Philippus quidẽ cum biduo triduoue ante baptismũ ex huius Ecclesiæ consuetudine ieiuna-

ret quam id exacte fecerit ostendit, fortè per eos dies solemne domi fuit epulum subito hospitis aduentu ineuitabile, abesse non poterat adolescens; ludi inter epulandum exhibiti, comœdia data, quibus cum pueriliter attenderet incautus, tantillum carnis in os immisit. Ea re, cum aduertisset, ita commotus est, vt mox epulo, ludis, & comico spectaculo sibi interdixerit. assurgens quippe & nescio quid causatus mæstus in cubiculum quasi violato ieiunio se recepit. Post hos alius Doctoris propinquus Christo adiunctus est, & alij plures in catechumenorum ordinem transierunt. Quatuor menses noster Sacerdos apud Petrum commoratus de reditu ad Socios cogitabat. erat enim ad suum munus in prouinciam rediturus: verum id Petrus non tulit, sed quoniam superioris iniussu nihil impetrabat ad eum scripsit, & denuo Michaelem vt se interponeret interpellauit, neuter fuit diu rogandus; visum omnibus nouellam plantam vt adolesceret otiosa irrigatione diutius excolendam. Cum eo igitur Sacerdos noster ad iter se accingit

quem

quem ad reditum vſque perſequamur.

Multa ſunt in his Magiſtratuum itineribus, multa in eorum tribunalibus Europæ inaudita. De his etſi pauca in hiſtoria noſtra tetigimus, ex eo tamen quod oculatum teſtem habemus, qui multa certius ac minutius annotauit, operæpretium facturus mihi videor, ſi curioſo lectori nonnihil indulſero, maxime quod ex his huius regni Maieſtas, amplitudo, moreſque produntur, quibus cognitis expeditionis quam præ manibus habemus magnitudo cognoſcitur. Notum eſt iam non paucis Magiſtratuum omnium ſupremorum infimorumque itinera, quæ per vniuerſum regnum longiſſima ſunt & frequentiſſima, quod in propria prouincia nemo rempub. gerat: ea inquam omnia itinera ſumptu regio fieri. Sed vt notum ſit, incredibile tamen eſt quo apparatu & qua Maieſtate peragatur: Palatia ſunt imprimis toto regno ſparſa in hunc vnum finem, vſumque extructa, vt euntes redeunteſque Magiſtratus excipiant. in ſingulis præter ſplendidam gentis more ſupellectilem, famulosq; neceſſarios baiuli

aluntur, ac iumenta in omnem euentum expedita. ſi flumine iter inſtituitur, nauigia percommoda & omnino talia, vt nihil in aqua potabili ſimile occurrat vniuerſum orbem nauigantibus, hoc aſſerens omnino nihil augeo, & habendam mihi fidem velim, qui celeberrima prope totius Europæ flumina nauigaui. In mari porro ſuperamus. In ijs porro diuerſorijs vbi frequenter eſt concurſus, baiuli ac iumenta per centurias numerantur; & tamen toto regno quaqua verſus tribus leucis plus minuſue inter ſe diſtant, non longius, vt eorum ſit ingens numerus, & ſeruitiorum ac iumentorũ incredibilis multitudo: ſumptus porro, qualem reges etiam potentiſſimi exhorrent, vt ſequentia lecturis plane conſtabit.

Cùm igitur in prouinciam iturus quilibet Senator ex Magiſtratuum volumine vel per celeres equos è regia nunciatur; ab ipſa prouincia mittuntur qui Senatorem illum excepturi domum vſque proficiſcantur, tametſi vt ſæpe fit ab altera regni parte ſpatio trium & amplius menſium euocentur ad eum excipiendum; quò

ma-

maior eſt dignitas eò plures deſtinantur: nam ad Proregem videlicet, è ſingulis prouinciæ regionibus, vrbibus ac oppidis ſinguli in minoribus officijs conſtituti deſtinantur, Hi ab ipſa prouincia ſatellitium omne adducunt eodem ferè apparatu quem in ipſa prouincia ſunt habituri: nihil vt opus ſit, niſi placuerit, ex ſua familia famulum comitem adhibere: quod tamen ſemper faciunt, quod domeſticis magis fidant quam externis. antequam hi ex prouincia Senatorem excepturi aduenerint domi ſe continent. volunt enim rogari & Magiſtratum ambiuiſſe ſummopere diſſimulant.

Poſt horum aduentum emittitur Prodromus, qui decem ferè diebus præcurrit, in tabula lignea cubitalibus litteris expreſſam eius qui ſecuturus eſt dignitatem geſtans: Is per omnia diuerſoria per quæ iter facturus eſt præcurrens, vbique monet quot baiuli, quot iumenta præſto eſſe debeant, ne qua inijciatur mora tranſeunti. Præmiſſo prodromo tum demum Senator ad iter ſerio ſe comparat. & amici abeuntem conuiuijs quotidianis

visitationibus muneribusque fatigant. Eligitur ad iter inchoandum bene ominatus aliquis è fastis dies; qui cum aduenerit si flumine nauigandũ totum eum diem amicorum nauigijs stipatur, qui ad ripam fluminis in amœna villa ex ordine preparatis conuiuijs subinde eum excipiunt; si terra eodem fere comitatu apparatuque iter omne completur.

His vniuersim præmissis Doctoris nostri iter citius aliquanto prosequemur: noster Sacerdos quod non nesciret discessuri tumultũ, vt eum declinaret cum alio prodromo ad primum diuersorium perrexit, in eo Petrum prestolaturus, æstiuum erat tempus, iterque terrestre montibus asperum futurum erat, noluit igitur eum equo vehi; sed octophoro gestari; quatuor inuicem sibi in gestanda lectica succedentibus; ea res, Patris imbecillitati non fuit importuna, qui fortasse aëris inclementiam sine graui morbo non tulisset: discessus Doctoris ex emporio celeberrimo par fuit. nam & amicorum numero & potentia nulli erat ea in vrbe secundus. longum esset omnia commemorare, sed hæc erat

itine-

itineris quotidiani extra pompam occurrentem ratio. Primum Oeconomus (quem alterum prodromum paulò ſuperius nominaui) cum quatuor equitibus præibat omnia paraturus. Poſt hunc ſupellex baiulorum humeris geſtata, in cuius parſimonia laudem quærunt qui videri volunt integriores: vnde noſter quadraginta baiulis ingentes arcas vehebat non plures viginti, cum alias non deſint qui ad centum & plures ſecum vehant, poſt Sarcinas ibat noſter ſtipatus aliquot eius Curialibus ad omne obſequiũ promptis: ſequebatur deinde, ſed longo ſemper interuallo Doctoris vxor cum vniuerſo gynæceo; intra clauſas lecticas geſtabantur omnes, neque enim fæminæ ſi publicum vident, videri poſſunt: in vxoris comitatu filius lectica geſtabatur, & alij propinqui cum famulis equitabant omnes; hanc turmam præibant vexilla, tympana, tibiæ, armati ſtipatores, cum lanceis, bipennibus faſcibus & huiuſmodi bellicis inſtrumentis & magiſtratuum inſignibus. Vmbellæ præterea aliquot ad arcendum ſolem ingentes, equi præterea honora-

rij duo ſine ſeſſore cum phaleris, & cætero equitantium apparatu ; denique nihil vxor minus, quàm maritus pompæ habebat, idque ex more. Ultimus omnium Doctor ipſe dodecaphoro geſtabatur, aut hexaphoro ſex enim baiuli ſibi mutuo ſuccedentes humeris lecticam geſtabant, quam præibat eadem, quæ vxorem pompa, ſed numeroſior : eum ſequebantur famuli domeſtici, vel amici qui eum, vel honoris cauſa, vel ſpe lucri comitabantur. Ita vniuerſus comitatus toto itinere quotidianus ad ducentos plus minus attingebat, extra pompam quæ præter ordinem ſæpe illi frequens occurrebat. cum enim ad vrbem aliquam propius accedebat, magiſtratus illi minores remotius, maiores propiùs occurrebant. Porro cum in diuerſorium aut palatium publicum peruenerat ab ipſo vrbis gubernatore varia fercula, fructus omniſque generis commeatus præſto erat electuro, ſi quid arrideret, & præter ordinem conuiuium. nam in ipſo diuerſorio ſumptus illi publicè præſcriptus magno apparatu & copia præbebatur. Exeuntem eadem pompa

per

per aliquot paſſuum millia comitabantur.

Hoc itinere toto perpetuum porro ſi ad vrbem deueniret ſibi geſto aliquando Magiſtratu obſtrictam, aut cuius Magiſtratus eſſent amici fortaſſe, vel in doctoratu Collegæ, vel aliquando diſcipuli (horum enim eſt ingens numerus) tum demum tota ſe in pompam ciuitas effundebat, complanabantur itinera, plateæ mundabantur, ramis floribuſque ſternebantur, auleis parietes veſtiebantur, diſpoſitis per ſpatia odoribus fumabant omnia. Ex his facile colligas qua celebritate exceptus fuerit cum in terras ditionis ſuæ peruenit: longum eſſet narrare & rei ſimilitudo ſuperſedendum monet. Nolim ſuſpiceris hanc pompam huic vni vel paucis debitam, qui ad ſummos Magiſtratus aſcenderunt. Nam tametſi Doctor noſter eſt ex eorum ordine qui Tauli vocantur adhuc tamen à ſummis longe abeſt: nec ea quam ſcripſi pompa eſt paucorum; ſed omnium omnino, ſi parum demas, vel addas prout inter ſe differunt dignitates. nihil porro au-

auctum est. omissa multa studio breuitatis; idque ita quotidianum est, vt vix vllo die iter feceris, quin aliquoties in frequentioribus itineribus occurrat; quod non est viatoribus admodum gratum qui ad eorum conspectum ex equo desilire coguntur, dum transierint.

Hoc iter ab ortu videbitur in occasum à nostris hactenus parum frequentatum, annales quoque nostri hactenus nesciere. Id si typographicè ex Patris diario decurrero videor mihi multis placiturus, si cui minus arriserit, hunc paragraphum vno saltu transiliat. Ex Yam cheu primum peruentum Y cys die insequenti Lohò inde Biduo Ciu Ceu altero Biduo Nai Leam inde transmisso flumine biduo in So Ceu, biduo insequenti Yum Ciu vbi prouinciæ Nauquinensis limites finem habent; & Ho nan prouinciæ initium. Huius regionis Gubernator Doctoris Petri amicus, ad eum excipiendum ipse vrbe egreditur; & præter festum, de quo paulò superius, apparatum hoc addidit nondum scriptum honoris genus; fasces illi suos & reliqua potestatis insignia per

totam

totam ditionem ſuam tradidit: quo ſigni ficabat eum ſua poteſtate vti poſſe non ſecus, ac ſi proprius eſſet eiuſdē regionis gubernator: hinc biduo tenuit Quaiteſu, vbi triduum ſubſtitit ad regiæ complorationis ritus, qui forte in id temporis inciderant explendos. Inde per vrbes decem ſuo die ſingulas thum tiu, Quei Xí, Yeu, Chuen, Heucheu, Siam chim, Yehién, Pacgan, Yo cheu Pouam in maximum emporium cui nomen Fu Xam Nan deuenerunt. Hinc vno die deuenitur Cim Pain, & inſequenti Ninhiam. & in poſterum in Kenſi prouinciam primus eſt ingreſſus. (Aduertas velim Xenſi & Xanſi prouincias inter ſe differre.) In hac prouincia Xenſi rariora ſunt oppida & vrbes; inter montes enim aridos plerumque ac ſteriles & aquis deſtitutos infrequens eſt habitator: ſed hoc intelligas, ſi cum alijs prouincijs conferatur: alioquin enim affirmat Pater nullſa leuca defuiſſe, pagos, aut diuerſoria in quibus ea, quibus viatores indigent, pretio præbebantur. Sed neque hic deſunt publica de more Magiſtratuum diuerſoria. Prima quæ hoc itinere

nere ingresſis occurrit ciuitas Xamnan appellatur quæ ad Doctoris ditionem pertinebat, ſed nondum erat ea, in qua tribunal, & ſedem habiturus erat. inde triduo in eam venitur Xamcheu appellatam; quo apparatu exceptus fuerit, repete ſuperiora: nihil iudicio repetendum. Prouinciarum, per quas iter fuit, integra deſcriptio non eſt huius loci, neque ſua magnitudine capi poſſunt intra huius cõmentarij breuitatem ſatis, ſit iter breuiſſime percurriſſe.

Deduximus Senatorem noſtrum cum noſtro Sacerdote in ditionis ſuæ locum. priuſquam reliqua proſequamur, pauca de multis quæ domi ſuæ Magiſtratus, quo tempore Remp. regunt, Europæ noſtræ noua, ſolent factitare: Palatia (nam omnia eandem habent plus minus architecturam) in quinque portiones in profundum diuiduntur, in hunc modum; extra omne ædificium intra repagula lignea ingens eſt atrium, quo in tribunal itur ac multitudo congregatur; inde prima ædificij porta, & aliud atrium: poſt hoc atrium ſunt tres portæ, media vna, reli-

qua

qua dextera læuaque: media porta Magistratus & emeritos etiam Senatores admittit, dextera literatos è Senatu philosopho, Læua Duces ac milites è Senatu militari admittuntur. Rei cum in tribunal euocantur dextera immissi læua emittuntur. Post has portas aliud est atrium, in cuius ad Boream capite (nam omnia huiusmodi ædificia meridiem spectant) est in medio aula primaria in qua bis quotidie iudicia exercentur, ad huius aulæ latera variæ sunt ædes, in quibus tribunalium perpetui ministri diuersantur. Perpetuos voco, non quia non possint ex culpa per ipsos Magistratus loco moueri alijs substitutis: sed quia si nihil culpæ intercesserit, non sunt obnoxij frequentibus Magistratuum mutationibus. Huiusmodi Ministri sunt pueri honorarij, notarij, amanuenses, quorum est priuata Senatorum mandata deferre, apparitores, excubitores, tibicines, coquus, emptor, oeconomus, ianitor & huiusmodi centenario non pauciores. Hi omnes in hoc atrio ad aulæ primariæ latera suas cellas habent non per inepte

distri-

diſtributus: vnde horum ordinum amplitudo colligi poteſt. Poſt hoc atrium ad Boream eſt tectum, ad quod vnica porta intratur, in cuius medio eſt aula ſecretior ibi Magiſtratus inter ſe de reipub. negotijs ab arbitris remoti agunt, hoſpites familiariores in illam admittuntur, ibique conuiuia exercentur. vltra iſtud atrium eſt quartum, in cuius capite ſunt ædes, quæ Senatorem ipſum cum propria, quam ſecum adduxit familia, commodiſſimè excipit. Inter hoc atrium, & exteriora reliqua magnum eſt excubitorum chaos, magna ſigillorum, peſſulorum, clauiumque multitudo, quibus ingreſſuri, vel egreſſuri omnino prohibentur, niſi ſi quos ipſemet Senator ad ſua negotia egreſſurus educat. Ergo famuli domeſtici nihil obſequij hero ſuo extra domum præſtare poſſunt, ſed omnia per eos famulos exercentur, qui ſecundo in atrio commorantur: Id religioſius fit omnino quam credi poſſit in hunc modum: Quotidie in ipſum Tribunal venit Oeconomus interior, finitis negotijs publicis Senatori heri ſuo volumẽ offert in quo iam annotauit quid
in

in eum diem neceſſario ſuis emendum videatur; has notas ipſemet recognoſcit, quidquid emendum iudicat penicillo, notat rubro colore, quod non placet, ſine nota tranſilit. hoc volumen hoc modo notatum traditur oeconomo exteriori, qui ad emptores & officinas pergens librum oſtendit, tum quia ſine hac nota nefas eſt illi quicquam vendere: tum quia quæ Magiſtratuum nomine emuntur tertiam partem viliore pretio, recepta iam vbiq; conſuetudine, comparantur. Cum domum redit oeconomus, non licet illi quæ adfert traditurο, interiorem domum ingredi, ſed in atrio interiore ad ianuam eſt rotatile quoddam inſtrumentum, quale apud nos in Monialium clauſtris eſt in vſu, ibi dato ſigno omnia deponit, quæ interiores famuli colligant interiori familiæ neceſſaria paraturi. Poſt quartum atrium eſt aliud extremum infimumque gynæcei ſolitudinem continens. Intra hæc atria duo extrema variæ ſunt ædes, muſea, aulæ, horti, ſtagna & huiuſmodi omnia perelegantia perque commoda, quæ ſolitudinis moleſtias fallant, domiq; non inuitè contineant

tineant ibidem diuerſantes. Hæc tanta ſolitudo largitionibus tollendis inſtituta eſt, ne Senator habeat per quas eas poſſit ſine metu conquirere non enim ſatis. poteſt fidere externis ſtipatoribus, quorum iudicio tota res in ſuam facile perniciem erumperet. Id etſi non parum cohibeat, nondum eſt ſatis. quid enim eſt quod poſſit mortalium cupiditatem inhibere? mille ſunt artes, quibus legum rigor eluditur. Hoc aduenienti Senatori palatium non vacuum traditur, ſed inſtructum omni ſupellectile, etiam ea quæ ad culinam & conuiuia; imo etiam rem veſtiariam ſpectat. Ex hac ſupellectile liberum eſt Magiſtratibus, cum alio euocantur, quod corraſerint, ſecum afferre; ſucceſſori enim quidquid defuerit accuratiſſime ſupplebitur. Ad hæc palatia in exteriore atrio, ſingulis noctibus excubiæ in quinq; vigilias diſtributæ ſunt. Vigiliarum numerus pulſu ad ſingula prope momenta repetito in ingenti tympano ita exprimitur, vt audientes horas noctis inde certiſſime partiantur. Huius tympani vſus non ſolum nocturnus eſt, ſed etiam diurnus.

Cum enim extra eas horas, quibus iudicia exercentur, atria omnia clausa sint, & claues penes ipsum in quarto atrio Senatorem seruentur, difficile esset in ea ędium amplitudine interiores monere, si quid noui exterius occurreret. Tum igitur tympanum illud ita pulsatur, vt ex ictuum repetitione mox cognoscas cuiusmodi negotium occurrerit. Si hospes Senator triplex pulsus, si cursor ab regia duplex, & cætera huiusmodi. Quoties etiã Iudex in tribunal est concensurus tympanum illud ingens in atrio ter pulsatur, & deinde vexilla duo eriguntur, nec vnquam tibiarum tympanorumque solitus concentus omittitur. Hæc è multis pauca sufficiant. vereor enim, vt sicut scriptorem, ita lectorem fatiget ipsa prolixitas.

Ad institutum redeo. In hoc specioso carcere noster Sacerdos vnam Petri familiam habuit imbuendam. neque enim illi maior libertas, quàm cæteris concedi poterat: sed non inutilis fuit illic quinque mensium mora. nam ex vno capite huiuscemodi rei Christianæ magnum pendet

incrementum. Is igitur etsi negotijs publicis magnam diei partem dare cogebatur: semper tamen aliquid ad sacra colloquia, piasque exercitationes temporis seponebat: solemne illi erat non nisi adorato Deo in tribunal ascendere, Pomeridianis horis cum se iam à negotijs publicis expedierat, in Sacellum redibat, & reliquum temporis plerumque cum nostro Sacerdote varijs colloquijs iucunde fallebat.

Ex hac nostri Sacerdotis excursione id etiam consecuti sumus, quod huic expeditioni diu fuerat in votis. Vino ad sacrificium Missæ hactenus vsi sumus Europæto, non sine incommodo, sumptu, ac periculo; periculo inquam. accidit enim aliquando, vt eo deficiente, vel subito acescente aliquo tempore tanti sacrificij solatio & nos & Neophyti destitueremur. vuarum apud Sinas est multitudo. vnde nunquam desperabamus fieri aliquando posse, vt è Sinensibus vuis aptus sacrificio liquor exiret. Id varijs in locis frustra tentatum subito enim acescebat, nec alias vuas vllo modo prestolari posse videbamur.

Nanquini, Hamciani Pequini vindemia nostra male successerat: verum adhuc supererat in fama, spei tantillum. Vulgo enim ferebatur meliores vnas in Xansi prouincia reperiri. Ergo Superior Patri Iulio dat in mandatis vt omnia tentet huic negotio opportuna. Is cum Petro contulit effecitque perfacile vt interposita eius auctoritate nihil intentatum remaneret. Primum in ipsa sua ditionis sede iubet edici, vt quidquid uvarum esset ad tribunal afferretur: sed neque hoc successit: Sinæ quippe præ volucrum & harpyiarum, furum videlicet, metu, moræ impatientes nondum maturas vuas decerpebant, nec vsui esse posse videbantur; fama erat in visina Xansi prouincia sex fere dierum itinere vuas esse, quę sua bonitate cæteras superabant, Eo excurrere noster volebat Neophytos etiam aliquot non procul inuisurus, sed Doctor eius non tulit absentiam, sed suo sumptu baiulos misit, qui magnam uvarum vim, & selectissimarum adferrent. Interim vas paratur exprimendis vuis accommodatum: quæ cum aduenissent dignæ visę sunt torculari, expres-

ſæ vinum fuderunt longè præſtantius quam alibi exierat, & omnino tale, vt nihil iam dubitetur, quin commodè non ſolum tuto poſſit in ſacrificium adhiberi. Nam toto anno etiam in ęſtu maximo ſe tenuit, nec in acetum adhuc defecit: & tamen cum terrâ baiulorum humeris per dies quinque ſupra quadraginta in ſummis frigoribus geſtaretur, gelu coaluit, & nihilominus ad ſe redijt, vt eo ſine metu inter ſacrificandum vteremur: aduehi poterit poſthac flumine, & per omnes domos diſtribui; ſed quamdiu noſtri, vel iſthic, vel certe propius non conſederint, non ſine incommodo ſumptuque curabitur; hoc ſaltē conſtat omnino quoties libuerit poſſe nos intra regnum ſanctiſſimo ſacrificio de vino prouidere, quod non parum anxios noſtros hactenus habebat ſiquo euentu Europæ commercio plane deſtitueremur.

Quintum iam in prouincia menſem muneri ſuo intentus Doctor exegerat, cum ecce tibi ab regia nuntius, eum in prouincia Fuquiana prope in oppoſita ex diametro regni ad maiorem dignitatem

ab rege delectum. illi ergo domum eadem via redeundum, & inde in prouinciam nouam demigrandum. Hinc Pater Iulius occasionem cepit id quod à Superiore habebat in mandatis exequendi, nimirum vt in vicinam Xansi prouinciam ad nobilem Neophytum Han Stephanũ ex licentiatorum, vt more nostro loquar, ordine Pequini olim baptizatum excurreret Is & coram, & per literas sæpe institerat, vt ad parentem vetulam ac familiã Christi sacris initiandã vnus aliquis è nostris Sacerdos excurrere ne grauaretur: huius rei nondum se commoditas aperuerat nec displicebat hac discursione tẽtare; num hoc persecutionis tempore refugium aliquod inueniretur, si quo casu illa denuo recrudesceret. satis constabat Petrum ægerrime adducendum, vt quem secum adduxerat, ab se dimitteret. Per eos etiam dies Visitator prouinciæ æmuli nostri (quem nostri Doctores Pontium Pilatum per iocum solent appellare) discipulus, edixerat, vt est iam in formula solenni, edixerat inquam, vt à peruersis dogmatibus & sectis sibi cauerent omnes

inter quos etiam Thienchuchino, Christi legem ita hic appellamus, inseruerat. In huius visitatoris ditione Doctor noster erat vnus, ad quem edictum suum Visitator miserat obseruandum. Hoc etiam argumento noster vsus est, vt missionem impetraret, ne si ad Visitatoris aures perueniret Europæum se Sacerdotem domi habere aliquod sibi crearet malum. Verum Doctor: de Visitatore ne sis sollicitus, hæc est mea cura, & permisit quidem vti ad Stephanum excurreret, sed omnino rediturus: nec tamen eum dimisit, nisi prius sciret de Stephano num domi esset, & Patrem expeteret. ergo septem dierum itinere Curialem è suis expedit ad Stephanum cuius intra dies quindecim responsum, cum Patris aduentum magnopere vrgeret, tum demum à se nostrum, qua prius lege, dimisit: ad cuius iter diploma suum addidit, quo diplomate per omnia Magistratuum diuersoria quatuor illi ex famulis, equi publico sumptu, cum reliquo comeatu præbebantur. Neque enim hæc diuersoria solis Magistratibus destinata sunt: sed & eorum famulis, quin etiam

etiam amicis sine nota huiusmodi diplomata sępe concedunt; quibus si vti nolint, aut paucioribus equis indigeant, viatores socios adhibent, quibuscum ea pretio partiuntur. Iuit igitur noster per montes asperrimos eosque niue tectos altissima, & dierum omnino septem itinere quo tendebat peruenit, ex itinere hæ vrbes occurrerunt, Lohan, Thumquan, (in qua vrbe trium prouinciarum, Honan, Xensi, & Xansi termini conueniunt) Pucheu, Hiam cheu & hæc est Stephani patria intra limites Pim yam Fu regionis sita. Quo apparatu exceptus sit à Stephano ne toties repetam visitationes, conuiuia, & huiuscemodi ritus cantatos omitto. Qua lege noster venisset audito lætitiã diluit. ergo communi amicorũ consilio placuit Doctoris famulos remittere, nostrisque litteris vnanimi consensu postulare, vti permitteret nostrum Sacerdotẽ rei Christianæ causa longiorẽ ibi moram facere. Verum noster qui Doctoris animum iam habebat exploratum ad eos qui Christi sacra sitiebant sacra doctrina potandos se accinxit, nec fuit inutilis labor, intra men-

ſem, decem & octo ſacro baptiſmo luſtrati reliqui per temporis anguſtias excluſà vota ſua in aliud tempus diſtulerunt. Inter hos Stephani mater, vxor, ſoror, proles quatuor, pueri duo totidem puellæ, & alij ex propinquis, famulisque domeſticis. Extra Stephani familiam frater eius natu minor cũ vxore & filijs duobus ipſe quoque literatorum gradu inſignis, & inter Baccalaureos primus, quæ fortuna ſecum Magiſtratum habet, & alias quaſdam immunitates. Is Thomas fuit appellatus qui etiam ſocerum ſuum Chriſto adiunxit, ipſum quoque literatum.

In his bene occupatum Doctoris literę repererunt, cũ quibus famulos ſuos & nouum ad iter diploma remittebat, rogabatque vti omnino ex condicto rediret, ſe iam illius ergò, diſceſſum ſuum dies aliquot diſtuliſſe: & locum diemque condixit vbi eum ex itinere eſſet expectaturus. Repugnari non potuit vltra adhibitis etiã in conſilium amicis omnino redeundum fuit, maxime quod eam alia quædam ſuadebant nondum eſſe maturam, nouam ſedem iſthic figendi tempeſtatem. In

con-

condictum igitur locum tendens eodem etiam die in vrbe prouinciæ Honan cui nomen Xen cheu conuenerunt. Inde reliquum iter quo venerat apparatu simul conficientes in Doctoris domum in Emporium Yam Cheu redierunt, quæ deinde secuta sunt ad annum pertinent insequentem: modo ad excursionem Nanquinensem euocamur.

De Nanquinensi Ecclesia.

TAmetsi Nanquini post præteritos motus nondum stabile nostrorum domicilium habeamus, magnam tamen anni partem ibi resedit Pater Petrus Spira Belga, qui ad excolendos Neophytos iussu Superioris ex Nanciana Metropoli eo excurrerat. de his Neophytis vniuersim dici potest, eos nuperrimæ persecutionis igne purgatos; supra cæteros toto regno sine cuiusquam iniuria eminere, quod eo magis æstimari, potest quod sine pastorum cura saltem continua ipsi se inter se à lupis protegunt, & cælestibus pascuis saginant

ginant. Id maxime consequuntur octo Sodalitijs de quorum institutione anno superiore tractatum. Multa de his commemorarem nisi vetere instituto mallem communia æstimari quam narrari. nihil igitur minus, plus etiam aliquanto Christiani ardoris excreuisse intelligatur ex ipsa prætermisione. De Iubilæo multa in hac nouella expeditione non vulgaria, sed modo seruiuimus Europæis auribus vbi consueta sunt, quia iam longo vsu confirmata. Priuata quędam perstringamus.

Nanquini noster Sacerdos cum Socio per varias Neophytorum domos errabat prout eum rei Christianæ commoditas inuitabat; in ea re varia erant incommoda, nam cũ fere Nanquinenses Neophyti sint è vulgo; non eas habent ædes in quibus pro dignitate possint fidei nostræ ministeria peragi, aut Neophyti paulo maiora numero sine nota conuenire, maxime quod eorum feruor nullo metu poterat contineri. ergo inter se ipsi nostro ne impediret, ne conscio quidem, agunt de corrogando inter se sumptu ad coëmendas ædes non incommodas, & vt suspicio-

nis

nis nota tolleretur, eiuſmodi deſtinabant quæ officinas haberent ad plateam,& intra domus penetralia ſacellum & cubicula noſtrorum habitationi deputata. Quid plura viri tenues è labore manuum ſuarum, & ſudore vultus ſui, quos cum vidua poterant denarios exprimentes pretium corraſerunt, ædeſq; coëmerunt non commodas ſolum; ſed & elegantes quibus nec hortulus,nec ſtagnum ſuum deeſt. Eam rem prius omnino quam coaleſceret noſter ſubodoratus ne cui eſſet oneri,diſturbare moliebatur: ſed ad eum Neophyti frequentes conuenere deprecaturi: iuſtum eſſe vt aliquid corpori ſubtrahatur quod animæ ſit incremento: conſenſit noſter,& in paratam breui domum magno rei Chriſtianæ commodo demigrauit.

Præter has ædes alias à fundamentis extruxit noſtris, talius è militari Senatu Dux maximus Cham Lucius nomine,ille ipſe qui à Paulo ad Petri conuerſionem adhibitus collaborauit vt ſupra. Huius ædificij alia fuit deſignatio; intra vrbis frequentiam Neophyti ædes in ædem coemerant; ipſe intra vrbem quidem ſed lo-

co

co deserto & ab arbitris remoto nostro Sacerdoti elegantes latebras parabat, si quis contra eum rumor ingrueret: elegantes dixi; quia recreationi magis, quam latebris extructæ videbantur. nam prẹter ædes paruas, sed commodas, hortus, nemusculum, & piscosum stagnum oculis blandiebatur. Deus vtrisque retribuat, & suppleat maiore fructu, quod meritum nostris detrahunt detracto quod tolerent. Sanè hactenus in hac persecutione videtur nobiscum velut cum pueris in huius Ecclesiæ infantia ludere clemens Pater, ita blandè nos tractat, si cum Ecclesia Iaponiensi conferamur: sed non vult tenellam adhuc plantationem euelli, putari duntaxat vult, & purgari.

Ex hac prope continua Pastoris præsentia magnopere totius grex profecit. oculus enim Domini saginat equum, peculiaria quædam seligamus. Neophyti non raro obiectas ac depositas à parentibus noctu proles magna caritate suscipiunt, & vxoribus suis non sine sumptu ac labore traduut educandas: ex his aliquas mors præmatura baptismo iam lustratas vita do-

donauit aliæ Christianæ si vixerint educabuntur. Mira est mulierum & diu desperata propter miniam solitudinem pietas, quæ omnia impedimenta perrumpit. Eam mutationem dicunt se debere nuperrimæ persecutioni: olim domi nostræ continebamur, nec ipsis ex more gentis in ædem nostram vna cum viris licebat conuenire, nunc per Neophytorum domos vagi præsentiam & præsentię fructũ latius exhibemus. Mulier quædam ægræ mulieri ex pura misericordia seruiebat, cuius morbus fętore, pure, pediculis nauseam ciebat eiusmodi vt quēvis arceret. Hæc eius pannos lauabat & vlcera curabat sui victrix supra fæminam. Eam cum die quadam pannos lauaret impigre, tanta nausea inuasit, vt parum abfuerit, quin abijceret omnia & ægram dimitteret. Verum aduertens dæmonis artes meritum inuidentis, resumpsit animum, & plenas in saniem immittens manus vicit seipsam suumque obsequium non nisi cum ægræ morte finiuit. Incipit iam Deo laus Sinensis Ecclesia Senensis vestigia lambere tametsi adhuc longo, sed propius in-

teruallo.

teruallo. Huic viragini addam Matronæ nobilioris exempla, quæ tamẽ ex naſcendi conditione carebat ea libertate, quam fortuna communior ſolet vulgaribus dare maxime quod ipſa vidua ſola domi Chriſtum colebat ethnicosque filios non facile erat adductura vt Chriſtianam pietatem honeſte interpretarentur. Ea tamen ingenioſe ſupplebat quæ facere vetabatur. nam vt erat copioſior cęteris eleëmoſynæ nomine cęteras imo ſeipſam ſuperabat. Nam pręter quam quod in ea Neophytorum omnium penuria copiam reperiebat & quod ſtatam pecuniolam octauo die quolibet in pauperes erogabat incidit Neophytum æris alieni gratia rapi in vincula, ei vt ſubueniret cum ad manum deeſſet, quanta ſumma exigebatur mundi muliebris partem fęneratori expoſuit, vinctumque liberauit.

Ex vrbe Nanquinenſi Sacerdos noſter ſecundo excurrit ad Senatoris emeriti ſed ſolim grauiſsimi vicinum ruri palatium intra duodecim leucas fere ſitum. Is Ethnicus eſt medullitus & varijs ſuperſtitionibus perditè illigatus, præter pellicum amo-

amores & aſperrimam naturæ conditionem. Ad eum vt excurreret cauſa non defuit. nam & antiquus eſt iam, & noſtrorum amicus & legis etiam noſtræ, quamdiu de illius veritate duntaxat tractatur, eo volente quanquam illius filij & duo Nepotes Chriſtum agnouerunt eiuſq; ſacra ita in animum alte admiſerunt vt Parenti ſuo ex diametro oppoſiti eſſe videantur; ad eos excolendos maxima parentis voluntate noſter Sacerdos excurrit, ibiq; multa perfecit ad huius familię piam educationem; quintum filium qui nondum ſe fratribus adiungere potuerat diuturni voti compotem baptizauit: quinque filiorũ iam Chriſtianorum mater idem enixe petit, ſed ad vitandam mariti offenſionem tantiſper dilata, eſt donec molli tempore rogatis annuat, nõ enim eſt omnium horarum homo, qui tametſi ſit in hunc modum toti familiæ moroſus, filijſque ipſis terribilis, noſtros tamen ita ſuſpicit, vt ijs præſentibus alius omnino eſſe videatur, vt etiam hac ex cauſa noſtrorum aduentus ſit toti familiæ gratiſſimus. Nec reſpuit ingeſtos de Chriſti lege ſermones, quin

etiam modeſtè ſe reprehendi ſinit, ſed verba per aurium alteram immiſſa mox altera videretur emittere. Cogitabat imo delineabat Idolorum fanum, ſed noſter eũ Sacerdos auertit, perſuaſitque vti familiæ toti ædem ſacram erigeret: quod ne perficeret domeſticis adhuc infortunijs detinetur; nam vt eſt in prouerbio multis terribilis caueto multos. ita iuſtis an iniuſtis vicinorum odijs vexatus ipſe deſerto in loco domi ſuæ à latronibus impetitur & plagis etiam oneratur. Multa de filijs poſſem dicere maxime quam acriter & idola & idolorum ſacrificulos perſequantur: ſed ſatis ſit eos indies ita Chriſtiane adoleſcere: vt etiam parentem non deſperemus ad mentem & ſaniora conſilia reuocandum, maxime cum ipſe per ætatem deſertus à vitijs ſe ipſe collegerit.

Nanquini hoc anno toto certum numerum eorum qui Chriſto initiati ſunt inire non potui quod ei qui Nanquinenſia ſcripſit exciderit eum annotare; ſed aliunde non temere conijcio intra quadrageſimum quinquageſimumve contineri: hos inter vxor fuit Chim Ignatij è magnis

de

de Senatu militari Magiſtratibus. Is iamdiu Chriſto adiunctus Chriſtianam religionem ſemper coluit magno ardore. Ab vxore nunquam extorſerat, vt ſacrilegum idolorum ieiunium, imo ſyngraphã proprio ſanguine ſacrificulis datam ſe nunquam ab Idolis receſſuram, agnito ſecum Chriſto damnaret. Hoc anno demum exemplo mariti dedit faciles veritati manus; & quo ardore ſimulacra nuper, eodem Chriſti ſacra profitetur. Habebat inſcio marito Idolulum delicias ſuas, quod illa ſponte miſit ad Patrem certiſſimo damnandum incendio. Hoc monſtrum latebat inter ſimulacra ſocrus ſuæ, quæ cum vniuerſo gynæceo ea etiam num colit obſtinatè. Id cum à cæteris auelleretur, tanta fuit comploratio miſerum Deum lugentium; vt Nurum oportuerit in cubiculo ſe continere ne in vngues incideret furentiumque contumelias. Hęc de Nanquinenſibus breuiter encomio ſanè longiore digniſſimis.

Expleto viſitationis prope annuæ officio tametſi ſummum bimeſtre deſtinauerat noſter Sacerdos, vt propior eſſet in do-

mum Doctoris Petri in Yam Cheu emporium ſe recepit, cui Doctor ædium ſuarum partem ad Sacellum & cubicula deſignauit. Inde facilè eſt noſtro Sacerdoti ad ſuos excurrere, & Neophytis ad eum recurrere, prçterquam quod hoc tempore tanti Senatoris vmbra noſtros ab omni hinnulorum iniuria poteſt tueri: nec inutile erit tentare, quid de nobiliſſimo emporio ſperari poſſit in poſterum; ſed hæc in annum inſequentem.

De Prouinciæ Quiamſinenſis Eccleſia.

IN Prouincia Quiamſinenſi duo Sacerdotes è noſtris cum vno fratre reſident in vrbe Kien Cham; ita tamen vt eorum alter ſubinde in Metropolim ad excolendos iſthic Neophytos excurrat: is eſt Pater Ioannes à Rocha Superior, Pater Petrus Riberius eius Socius in conſueta ſede remanet numeroſum iſthic Neophytorum numerum exculturus. Vtrobique ſimul omnes qui recens Chriſto adiuncti ſunt; duo ſupra ſeptuaginta ſcribuntur. In

Me-

Metropoli vnus è propinquis regijs Dom. Petrus domi suę nostros habet quoties eo excurrunt; ibidem aula capax, aram habet duplicem Christo Seruatori vnam, alteram Deiparæ Virgini sacram. Is omnino magna laude dignus est. nam frementibus amicis non solum Christum colit: sed etiam domi suę Neophytos excipit ad Sacrifia conuenientes, & absentibus nostris ibidem ad orationem coguntur Neophyti, & Petrus è propinquo regio gestit nostrorum vices, quantum licet supplere. Et tamen in illa re nonnullum discrimen adit; neque enim tegi potest Neophytorum conuentus, aut non erumpere nostrorum excursio. Nec hoc solum viro nobili debemus officium; sed idem transeuntibus nostris hospitium præbet, ac tametsi possent sine exscensione iter suum prosequi; vrget tamen vt ad nonnullam quietem in suam domum diuertant. Hoc anno huiusmodi hospites habuit iterum, Primum P. Emanuelem Dias cum P. Ioanne Vremano, qui etiam in eius domo diem obijt extremum vti supra, nec diuersorium ægro solum prębuit, sed tam-

etſi duos fratres habuerit æger à quibus curaretur; inueniebat tamen etiam vir pius in quo ægrotanti aliquod præſtaret obſequium. nam ipſe ſuis manibus cubiculi rimas obduxit, ne qua parte hiberno cælo frigidior aër irrumperet. Cum etiam alij duo ſub anni finem tranſiere: dubitaretque noſter Sacerdos an eos expediret exſcendere, veritus ne quo rumore quieta omina rurſus perturbarentur vt anno ſuperiore ſcriptum eſt, Petrus euicit omnino, & ipſe cum alijs duobus Neophytis ad nauigium noſtrorum venit leucā prope vnam pedes, eos adducturus: ibi apud eum biduo triduoue recreati, & nouo viatico in Sacrificio Miſſæ refecti, poſt feſtum S. Andreæ Apoſtoli diem iter ſuum proſecuti ſunt. In vrbe Kien cham ijdem qui ſemper literati domi ſuæ nos habent tanta libertate, vt noſtri DD. admirentur in Baccalaureis primo literatorum gradu tantum eſſe animi, vt non vereantur externos edicto regio nuper dimiſſos, domi ſuæ publice habere, aut ſaltem pæne publice. Horum hoc anno conſtantia tentari potuit, labefactari non potuit. Nouus

uus ad eam regionem, cuius hæc vrbs eſt caput regendam Gubernator nominatus graues olim cum ibidem minore officio fungeretur inimicitias geſſerat cum hac ipſa familia : ex eius aduentu non temerè timebatur, vt reſumptis inimicitijs ex altiore iam loco grauius feriret iniquo prælio certaturus, & noſtros domi habere erat quærenti arma dare, nulla enim re certius eos oppreſſiſſet, quàm conuictos domi ſuæ relegatos occultaſſe Hac ex cauſa priusquam adueniret nouus gubernator ad Miſsionis ſuperiorē & per eum ad Doctorem Michaelem literas expediunt, monent quo res loco ſit, petunt vt quoniam nouus Gubernator intimus eſſe Michaëli ferebatur, ad eum ſcribat de meliore nota, quod vt faciat pro diſcipulis efficacius, petunt ab eo in Diſcipulos admitti. Michaël quod rogabatur præſtitit accuratiſsime, Superior tamē noſtris ſcribit, vt tantiſper ſe ſubducant non videri iuſtum vt noſtra cauſa periclitarentur, qui tantopere ſibi nos hactenus obſtrinxerant. Hoc noſtri facere parabant ; ſed vehementer ſunt ab ijs prohibiti; non expe-

dire se priusquam deferantur pro reis dare, non ita futurum procellæ quæ imminebat imbrem subitum, quin sub tectum recurrendi tempus daret, habere se procul ab vrbe villã in solitudine in eam nostros tempori se recepturos. Interim nouus qui timebatur Gubernator aduenit, qui iam septuagenarius videtur veterum inimicitiarum oblitus. itaque neque Michaëlis literæ vsui fuerunt, neque nostri quicquam de suo instituto vel libertate detraxerunt. In hac prouincia nostri secundum Deum in nullius auctoritate refugium habent, nisi in horũ Baccalaureorum animo, ac beneuolentia. hac ex causa ad omnes casus quærebatur alicuius vmbra potentioris, sub qua persecutionis alicuius æstum ferre possemus. Doctor Paulus Pequini discipulum vnum habebat ex monitoribus regijs ex hac prouincia oppido Nincheu oriundum. Is de nostrorum vita certior factus discipulum rogat vti domi suæ vnum aliquem è nostris habere non grauetur, cum iam domum repeteret annuit & P. Ioannes à Rocha monitus est vt ad eam excurreret, expectaturus

turus quid inde ſperari poſſet ſubſidij; excepit noſtrum ſub vrbē loco amœno quidem, ſed deſerto, quo facto putauit ſe Magiſtri ſui voluntati ſatisfeciſſe, nondum ſatis certus de noſtrorum inſtituto : exigebat enim vt de Chriſti lege propaganda non ageretur, nec vt Ethnicus videbatur patrocinium noſtrum aduerſo tempore ſuſcepturus. Res erant quietæ, minus neceſſarium videbatur tam iniquis legibus diuerſorium. Volente igitur Superiore, noſter inde bona Doctoris gratia ita diſceſsit, vt redire liceat quoties in latebras nos noua procella retruſerit. Hic fuit in hac prouincia rerum noſtrarum ſtatus. De Neophytis multa dici poſſent, qui ſane maxime in Kien cham pietatem Chriſtianam egregiè colunt, & nonnulla dicere parabam, ſed cum anni Superioris literas percurrerem, mutaui conſilium. nam tanta eſt cum ijs ſimilitudo; nihil vt noui mihi videar eſſe dicturus , non igitur inopia materiæ deſtitutus , ſed ſimilitudine detentus plura dicere ſuperſedeo.

De Sinensibus socijs in Amacaensi Collegio.

QVoniam habet iam Sinensis expeditio in Amacaensi Collegio suis occupationibus deputatos, qui interim dum aquæ motum expectant suam piscinam ingressuri Sinarum libros inchoant, aut nostratibus studijs, si quid aliquid defuerit finem imponunt, de ijs quotannis in annalium nostrorum fine suus erit dicendi locus, velut de peculiari nostrorum Domicilio in huius regni limitibus primis constituto: Ex ijs quos procurator ex Europa secum nuper aduexerat vnum supra viginti, quinque mare hausit exitiali morbo extinctos, duos Goanum cælum, de quibus scriptum est in Europam ab ipso Procuratore, priusquam Goa solueret Sinas repetiturus, cum eo quatuor confectis studijs Amacaum tenuerunt, octo Goa ad studiorum curriculum conficiendum, prout cuique deerat remanserunt. Ex ijs aliqui morbo tentati vnus extinctus est Ioannes Ferraria Lusitanus nondum Sacerdos,

sed

ſed decurſo iam philoſophię curriculo primi anni Theologus. Is in Inſula Madeira natus Conimbricæ Societatem impetrarat ante annos plus minus octo : de illius virtutibus hoc poſſum affirmare teſtis oculatus, tota nauigatione fuiſſe illum inſigniter ſui deſpectorem & eximia caritate præditum, cuius deliciæ eſſe videbantur cum alijs inſeruiret, Superiorum ſuorum erat obſeruantiſsimus, idemque peculiari amore illos proſequebatur, ſuæ Miſſionis deſiderio totus ardebat,& in eo Sinenſis expeditio magnum pugilem immaturè nimis amiſit.

Ex ijs qui Goæ remanſerant hoc anno vnus confecto iam Theologiæ curriculo Amacaum euocatus, peruenit ille quidē; ſed non ſine ingentibus laboribus, ac triſti naufragio. Celox Luſitana non infeliciter, pænè in portum nauigarat; ſed in extrema nauigatione piratas Anglos fugiens naufragium fecit in ora iam Sinenſi; poſt eum ſinum (qui ab Haynan vt Sinæ vel Aynau vt Luſitani vocant, nomen inuenit) Anglorum piratarum Nauis apparuit, quæ mox in Celocem plenis velis

delata

delata prædam perſequebatur, erat tum procelloſum tempus celoci, naui proſperum & omnium velorum patiens: ſereno enim cælo, ventoque moderatiore Celoces ſua celeritate onerariarum alas eludunt. Celox vbi vidit nullum eſſe in fuga præſidium, ſperaretque in armis minus, iniquo nimis vel Claſſiariorum, vel tormentorum numero (Anglica enim nauis tormenta ſex & triginta iuſtę magnitudinis, celox vix trium & minutiorum capax. Claſsiarij piratæ ſupra ſexaginta Luſitani ſeptem octoue Mercatores) putauit nullum niſi in continente quæ non procul aberat refugium, Plenum erat ijs horis mare, quod late ripas rigare conſueuerat. ergo fugiendi ardore imprudentes in ſiccum inuehuntur, nec ipſi ſolum: Nauis auiditate prędę longius ingreſſa eandem fortunam ſubit, & vtroque æſtu recedente, in ſicco ſolo ſua nauigia repererunt. Orta inde in altum redeundi deſperatio, & iam non de prędа, non de fuga, ſed (de vita cura angebat vtroſque. Luſitani continenti propiores ſicco veſtigio per Sinenſem arenam in continentem euadunt non

procul

procul ab vrbe cui nomen Tymga in Australi ripa Cantonienſis prouinciæ. Ad ripam accurrerat è vicinis pagis innumera multitudo odore prædæ prouocata, qui primo impetu nauticos homines duos natione Indos crudeliter trucidarunt. Hi ceteros præuenerant mortis metu vitam perdituri. Noſtri duo erant, ſed eorum alter noſtræ Miſſioni deſignatus P. Matthæus Gogus Luſitanus hi cum Luſitanis in continentem pergentes excepti ſunt non inhumane ſi pecuniarum harpactum excipias: in hac enim materia nō eſt quod ab hac fæce ſperes pietatem. Angli vt erant plures cum armis egreſſi facile à ſe timidiſſimos Sinas arcuerunt. Hi cum Luſitanis in aridam eiecti, auctores ijs fuerunt, vt proximum Sinarum oppidum vbi ſe facile tueri poſſent, armis inuaderent: ſed Luſitani pyratarum conſilia reiecerunt aſſerentes ſe Sinarum amicos nō hoſtes eſſe. Alio igitur ſua conſilia vertentes à duobus Senatoribus qui iam accurrerant largitione corruptis duo nauigia impetrant, quibus ſe committentes Proregis tribunal & pœnas piratis debi-

tas

tas ſed non Dei vindictam, vt mox dicam, euaſerunt.

Luſitani iam pro amicis agniti deducti ſunt magno labore per multorum dierum iter ad Proregem. Interim dum hæc agebantur rumor certus de hoc naufragio venit Amacaum. Ergo P. Viſitator procurat vt è noſtris patribus vnus cum ciue Amacaenſi Luſitano ad Proregem mitterentur, qui noſtros & Luſitanas è ſua gente eſſe teſtarentur; ea res tanta celeritate procurata eſt, vt prius illi quam naufragi ſcian quinum Proregum ſedem, peruenerint: quicũ aduenifſent incredibili gaudio perfuſi ſuperiorum Societatis caritatem extulerunt. Nulla fuit in iis Amacaũ dimittendis difficultas quin potius Prorex iuſtiſsimus, vbi & ereptam pecuniam audiuit iis, qui Sinenſis regni commercio gaudent, indignatus eſt: vbi vero duos interfectos, excanduit, dimiſsiſq; extemplo Magiſtratibus ita ſeuerè inquiſiuit, vt Senatores aliquos verberatos in ordinem redegerit, alios tormentis & verberatione mactarit. Duos denique pagos deſolarit, Luſitanis etiam è perdita pecunia ad

tria

tria fere aureorum millia restituerit, qui plura restituisset, nisi forte inter inquirentium vngues multa excidissent. Nostri in Collegium reuersi magna omnium exultatione excepti sunt. P. Matthæus Gagus ex labore longam ægritudinem diu languidus traxit, sed tandem conualuit. In hac celoce vix quicquam Sinensis Missio desiderauit. Nam alia vehebantur Sarcinarum Procuratoris reliquiæ, parum abfuit, vt in eam immitteretur plane Regiũ Serenissimi Ducis Parmensis munus, sed ne in eam immitteretur diuino nutu factum minimè dubitamus, ne tanti Principis liberalitas sine fructu periret: sed quia rogari videor, Anglos persequor; e dictis nauigiis male materiatis; alterum hauritur fluctibus, vectoresque suos in oceano sepelit: alterum cum diffideret se posse Iaponense iter hoc nauigio perficere ad insulam desertam non procul Amacao constitit, vbi vectores à Lusitanis intercepti sunt & Amacaum adducti ad triginta, è quibus nonnulli nostrorum opera, cum Ecclesia Catholica in gratiam redierunt.

Hoc anno in Amacaensi Collegio diem suum

ſuum obiit P. Sebaſtianus de Vrſis Italus patria Aletinus. is erat vnus è quatuor nuperrima perſecutione relegatis. Pequini vixerat annis ferè decem, qui multa fecit tulitque vt Sinarum conuerſionem promoueret, erat enim hominum ſalutis auidiſsimus, quam virtutem etiam prius præ ſe tulit quàm Societatem impetraret. eo enim vtebantur PP. grauiſsimi Romæ ad adoleſcentum commilitonum ſuorum ſalutem procurandam. fuit boni communis, oblitus propriorum commodorum, cupidiſsimus, & idem vnicè cum ſuperiorum voluntate coniunctiſsimus longa plurium annorum tabe languit, nec tamen vnquam in labore languebat Amacai tametſi eum ſæpe morbi ſymptomata lecto affigerent, nunquam erat otioſus. nam præter ſtudium peculiare, noſtris qui è Iaponia frequentes ibi degunt Sinenſem philoſophiam prælegere cœpit, tanta eorum qui audiebant approbatione, vt vehementer doluerint eum ęgritudine prohibente vltra progredi non potuiſſe. Eodem tempore pueros quosdam volentes, linguæ Sinenſis prima rudimenta edoce-

bat

bat idem etiam noſtris quatuor qui recentes ex Europa appulerunt libros Sinenſes prælegebat. quæ omnia ita faciebat accuratè vt ſi aliud illi agendum nihil ſupereſſet, & ita conſtanter; vt eo non niſi extremo morbo dimiſerit. Paſſus eſt magnos dolores morbo incognito diu vexatus. Demum Sacramentis omnibus munitus, cælo maturus abijt ad præmia, per ætatem tamen (erat enim quinquagenario minor) noſtræ Miſsioni ſatis immaturus, magnum poſt ſe deſiderium reliquit. P. Alphonſus Vagnonus Pedemontanus exul & ipſe glorioſâ ignominia Nãquino dimiſſus Amacai etiamnum degit, & ſuam ſtationem repetendi deſiderio Sinenſi ſcriptione tempus fallit, illuſtrium aliquot ſanctorum geſta Sinarum vel admirationi, vel imitationi expoſiturus. In eius gratiam vir Luſitanus pius, idemque copioſus Nanquinenſis domicilii reditum inſtituit, qui etiam ſoli Deo placere cupiens nominari noluit; voluit tamen viuus exequi quod teſtamẽto legauerat; ita noſtrorũ ſedes, quæ plus paſſa eſt, prima fundatorẽ inuenit; non defuere alij etiam qui

ſuis eleëmoſynis noſtram tenuitatem adiuuerunt, pergunt enim Luſitani Amacaenſes prout ab initio cœperunt de Sinenſi expeditione quàm optime mereri, Deum precamur, vt qui ſeminant in benedictionibus, de benedictionibus & metant.

Hic locus me admonet, vt antequam his literis finem imponam de Matthæo Neophyto famulo noſtro dicam, qui fratrem noſtrum comitatus in Metropoli Cantonienſi mortuus eſt, pauca referam; virtus enim vbique laudabilis, & in Chriſto non eſt ſeruus neque liber. Is ex honeſta familia & quæ literatos ac Senatores habuerat in prouincia Quiamſinenſi natus Nanquini morabatur, ibi in noſtros incidit, & Chriſto nomen dedit, ac ſenſim ita profecit vt omnino ſe totum Deo conſecrare ſtatuerit: id quo modo faceret non inuenit, niſi ſi domi noſtræ perpetuis obſequiis ſeipſum obligaret. id factũ duo habet è quibus augeatur: nam & ſine exemplo primus, vt arbitror hoc tentabat, & alioqui duobus opificijs ſatis commodè vitam ſuſtinebat: erat enim bibliope-

gus

gus & pileorum Sinensium textor, quæ dimittebat omnia vt domi nostræ sine mercede seruiret. Admissus est ægre tamen &, non nisi certis legibus, quas ipse non exigebat; fore vt culinam non tractaret, nec vmbellam nostris in publicum prodeuntibus gentis more gestaret: videbatur enim quietior futurus ac firmior, si qua in re à cæteris conditione seruis ipse differret, neque enim à vulgari homine virtus non vulgaris exigebatur. Verum ille sua se sponte paulatim seruilibus ita ingerebat officijs, vt abiectissima, & difficillima queq; studiose indagaret iniussus seipsum coco sufficiebat si quo defuisset, cubicula verrebat & sordidiora etiã officia præueniens occupabat. His alijsque proficientem virtutibus visum est ad cæleste mensam admittere; ex quo tempore ita mutatus est, vt seipso quotidie melior appareret, nam orationi quæ sola mente perficitur statum tempus dabat, in colloquijs diuinis erat assiduus, pecuniola quam illi nostri subinde nolenti dabãt, inopes Neophytos subleuabat, & in proprios vsus omnino nihil reseruabat, idque ita faciebat

occultè vt non nisi multo post eruperit. His occupatum persecutionis tempus occupauit. Is ex rerum facie coniectauit tribunalia, vincula, etiam verbera imminere; ergo ad Superiorem domus se contulit & supplex rogauit ne se imminentium laborum merito excluderet, velle se illi per Tribunalia cursanti, & vinculis illigato etiam cum vitę suæ discrimine seruire. Nec minus fecit quam dixit (vt hoc dicam cursim nemo fuit è famulis nostris qui nostros eo tempore deseruerit aut vincula vel exilia exhorruerit) Matthæus enim nostris seruiuit in carcere impense, quod vt faceret voluit vnà cum nostris comprehendi, cum se nullo negotio subducere potuisset, grauem isthic morbum patientissime tulit, & vix conualescere incipiens ad pristina redijt officia; quibus non contentus, Ethnicos ipsos ijsdem vinculis detentos vel ægros, vel inopes omni qua poterat ope subleuabat, non sine omnium admiratione. In ea porro Iudicis sententia quæ vinctos (vt suo tempore scriptum est) varijs pœnis addixit Matthæus hic est qui fratris nostri Sebastiani

Fernandes iam ſenis, exilium, extra Tartariæ muros ambiuit, & magna voluntate in ſe ſuſcepit, non labores, non frigora, non ipſam ſeruitutem, cui iam ſe aſſuefecerat perhorreſcens. Taceo quam molliter illi ex Dei Prouidentia ceſſerit res alioqui duriſſima. nã breui Doctoris Pauli fauore cum honore remiſſus eſt. Cum ibi degeret caſtitatis quam Deo conſecrarat maximum ſpecimen dedit, nam petulantiam procacium mulierum ſæpe reiecit, & vt earum conſortium fugeret, mallebat frigidiſsimo cælo ſub dio pernoctare, quam in tepidis hypocauſtis in lectuli morem conſtructus cum caſtitatis periculo dormire. Rediens ab exilio cum ad Doctorem Leonem diuertiſſet, qui tum fortè Magiſtratum gerebat in Caoxeu vrbe prouinciæ Nanquinenſis apud quem vnus è noſtris eo tempore morabatur, ita captus eſt hominis virtute ac reſponſis, vt tantus vir dicere non dubitarit, velle ſe de illius vita inquirere, vt eam in Commentarium referat; nec huic viro parem eſſe æmulum noſtrum ipſius iudicem, tametſi ſumma in dignitate conſtitutum, nec

dignum vt ad eius pedes abluendos admittatur nisi eos polluturus; cuius cum se consortio dies aliquot recreasset bene donatum dimisit. Inde se contulit ad nostros in Nanciana Metropoli constitutos, ibique vno toto triennio seruiuit, & fratrem nostrum qui Cantonem missus fuerat comitatus, interim dum ille excurrit Amacaum in morbum incidit, & sanctissimè moritur. Cum iam exspiraturus omni prope sensu careret, repentè exclamauit se supra lectum æthiopem videre, & ad eum conuersus ait: quid hic agis dæmon, abscede, quia Deus hic est, & paulò post in Domino suauissimè obdormiuit.

Elogij loco hic inseram Matthæi scriptum, cuius exemplar alterum Missionis Superiori tradidit, alterum Sacerdoti nostro qui tum ei erat à confessionibus. Is enim audito de religiosorum votis, ea vt emitteret vehementer exarsit, non quod auderet ipse ad Societatem adspirare, sed seruata quam habebat seruiendi conditione ad maius meritum cupiebat his virtutum vinculis obligari. Id ei permissum

non

non fuit, nec acceptata nota ſed ne ſe Deo offerret ſine voto, impediri nec potuit, nec debuit. Huius oblationis ſcriptum ę Sinenſi ſermone candide tranſlatum ſic ſe habet. Ego Matthæus ſeruus & peccator nocte dieque verſans ac ruminans maxima plurimaque beneficia quæ Deus in me contulit, inuenio eſſe huiusmodi, vt ſi corpus meum in fruſta comminuerem, & oſſa mea propter eius amorem in puluerem redigerem, nondum poſſem dicere ſatisfeciſſe: cuius rei cauſa nullum finem facio lachrymis & gemitibus meis, quoties in memoriam redit, quod corpus & animam cum ſuis facultatibus à Deo accepi, qui me creauit, conſeruauit, redemit, & dignatus eſt me ad ſuam cognitionem vocare, & in ſuam legem ſanctiſsmam admittere: ideo cupio res huius mundi abijcere, & corpus meum animamque cum ſuis facultatibus in holocauſtum perpetuum offerre ſanctiſsimæ Trinitati vni Deo, nec his vti niſi in obſequium, & reuerentiam Dei, ac Domini noſtri, eroque in poſterum ſeruus & mancipium, & totis viribus me ſemper in abiectiſsimis officiis

occupabo, & per vitã vniuersam ad mortem vsque Deo seruiam & obtemperabo Superioribus, qui me illius nomine gubernabunt, & hoc mihi gloriosum & fortunatum ęstimabo, verùm quia me inter omnes maximum peccatorem agnosco, vereor ne indignus sim admitti ad hæc à Deo, ideo toto affectu æternum Patrem rogo, vt dilatato corde suæ infinitæ misericordiæ, & respiciens in merita vnigeniti filij sui, qui nostra causa in hunc mundum venire, & pati mortem crucis voluit, dignetur inquam æternus Pater in suam familiam me ad huiusmodi obsequia admittere, & ego posthac potius eligam in frusta toto corpore discerpi, quàm eum sponte offendere violata eius lege sanctissima etiam in re minima, & potius mille mortes eligam, quam superiorum meorũ mandatis repugnare, & si quid in me fuerit contra legem Dei, id erit omnino diabolifraude non ex pura mea deliberata voluntate. Rogo Spiritum sanctum, vt det mihi gratiæ suæ copiam vt possim hoc meum desiderium implere. Rogo etiam sanctissimam virginẽ Dominam nostram,

& omnes ſanctos maximè patronos meos (quos ipſe longo ordine nominat) vt pro me intercedere dignentur apud Diuinam Maieſtatem ne me reijciat, aut deſerat: ſed gratiam mihi ſuam largiatur, vt in humilitate, paupertate, caſtitate illi ſeruiam vſque ad mortem: ſi verò poſthac eum aliqua in re offendero, ſupplex rogo vt me continuò pœna manifeſta puniat in hac vita, vt me agnoſcere & pænitentiam agere poſsim, nec differat poſt meam mortem pœnas à me in inferno exigere: amen. Subſcripſerat ſeruus & peccator Gham Matthæus. Hactenus ille ſane piè & cordate; gratulari vt Deo poſsimus tantum Diuinæ lucis Neophytis iisque huius conditionis hominibus eſſe conceſſam. Et ſanè ſi quæ de famulis noſtris dici poſſent, omnia proſequeremur, magnum calamo curriculum ſupereſſet; hoc vniuerſim; non vnum eſſe Matthæum ſed plures, qui etiã eo diutius ſeſe probauerunt. ſed à viuis abſtinemus & plerumque de multis pauca ſelegimus.

Hæc ſunt admodum R. P. quæ filij tui ab Sinarum regno de hoc anno ſcribenda

habuerunt ex quibus vides eos adhuc inter ſpem & metum ſed tamen non infeliciter nauigare. Societatis preces expetimus, vt quæ Dominus in hoc regno per tantas difficultates euicit, ipſe perficiat, & eas adhuc temporum anguſtias dilatet aliquando conceſſâ ſuis Miniſtris euangelij promulgandi libertate. Quod vt eueniat P. V. nobis bene apprecata ſua etiam ſancta Sacrificia & orationes interponat. Ex Metropoli Nanciana primo anno Imperatoris Chienki ſeptimæ Lunæ die octauo, anno vero Domini 1261. XXI. Auguſti.

Ex mandato ſuperioris Admodum R. P. V. filius indignus in Chriſto

NICOLAVS TRIGAVTIVS.

Facultas R. P. Prouincialis.

EGo infrascriptus Præpositus Provincialis Societatis IESV per Provinciam Flandro-Belgicam, pro potestate mihi facta ab Adm. R. P. N. Mutio Vitellesco Præposito Generali Societatis nostræ, concedo Hieronymo Verdussio Typographo Antverpiensi facultatem typis mandandi librum qui inscribitur: Litteræ è Regno Sinæ. In cuius rei fidem hasce mea manu subscriptas sigilloq; officij mei munitas dedi, Antverpiæ 1625.

FLORENTIVS DE MONTMORENCY.


This next work was
edited by A. van den Cruyce
Letters By
Gasparo Luiz
Giovanni Battista Borelli
& Maiorica

RERVM MEMORABILIVM IN REGNO IAPONIÆ GESTARVM

Litteræ an. M.DC.XIX.XX.XXI.XXII.

Societatis IESV.

Ad Reu. Admodum in Christo Patrem P. MVTIVM VITELLESCHI Præpositum Generalem eiusdem Societatis.



ANTVERPIÆ,

Ex Officina HIERONYMI VERDVSSII.
M. DC. XXV.

Facultas R. P. Prouincialis.

EGo *infrascriptus Præpositus Provincialis Societatis* IESV *per Provinciam Flandro-Belgicam, pro potestate mihi facta ab Adm.* R. P. N. Mutio Vitellesco *Præposito Generali Societatis nostræ, concedo* Hieronymo Verdussio *Typographo Antverpiensi facultatem typis mandandi librum qui inscribitur:* Litteræ è Regno Iaponiæ. *In cuius rei fidem hasce mea manu subscriptas sigilloq́; officij mei munitas dedi, Antverpiæ* 1625.

FLORENTIVS DE MONTMORENCY.

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ IAPONIÆ. ANNI M.DC.XIX.

Ad admodum Reuerendum in Christo Patrem nostrum P. MVTIVM VITELLESCVM Societatis IESV Prępositum Generalem.



EQVITVR annus Christi millesimus sexcentesimus vndeuigesimus & præsentis procellæ septimus, quem nostri exilii, tantorumque laborum terminum fore permulti sperare potius videntur, quàm vaticinari. Vtcumque erunt ventura tempora, certè præsens calamitosum fuit. vt enim alia interim omittam, martyres ferè octoginta quinque, in quibus è Societate duo, pro fide vitam posuêre. Moderatur

itaque imperium tyrannus idem, qui antea Cubus siue Xongun Christiani nominis atrox hostis & carnifex. Nostri fuêre toto anno triceni bini, ex his sacerdotes viginti quinque variis prouinciis regnisque palabundos adiit omnes (præter duos qui longissimè distabant) P. Visitator Franciscus Vieira magno cùm domesticorum, tũ aliorum solatio & exemplo: baptizati ex adultis mille octinginti, non computatis iis quos oppidi plurimos variis in locis dogici, ac periti Christiani Domino peperere.

Nangasachi oppidum.

SVb initium anni profectus in Curiam Gubernator Vrbis Gonzochus, administrum Suchedaium nomine, barbarie & Christianæ gentis odio parem, suum ipse suffecit in locum is, vt domini promoueret incepta, continuò per præconem vetuit, ne quis Euangelii ministros domi occultaret; néue Christiani libros spirituales legerent; Christianam doctrinam docerent, aut inter se de animarum salute colloquerẽtur. Maiori tamen periculo fuit pestilentissimus

tiſſimus quidam ſicariorum & ceſſatorum grex, qui vt propoſitum præmium cuius anno proximo memini occuparent; nihil intentatum reliquêre, quominus Euangelicos præcones vniuerſos in intima vſque penetralia reconditos, inueſtigarent: lecto duce, manuq́ue & coniuratione facta, paſſim domos alienas leuiter admodum ſuſpectas irrumpere, foreſq́ue effringere, angulos & tenebras omnes diligenter ſcrutari. Ex his quæ Chriſtianorum fuerit ſequuta trepidatio ſuſpicari facile eſt; nuſquam tuta fides, & ſicubi tuta, ibi ad excipiendos clam ſacerdotes fiducia deerat. Vnde crebra cunctis & ſingulis pericula, præſertim Europæis, quos peregrina facies primo ſtatim proderet aſpectu. P. Prouincialis, cùm latibula permutaret, non ſemel ex apparitorum manibus prope diuinitus eripitur, eâdem fermè Dei prouidentia Iaponios noſtros duos protexit licentiùs euagantes. Quapropter in ſeculares verſus hoſtium furor. Quidã vt Religioſorũ indicaret hoſpitia tormẽtis adigitur: nõ pauci abripiũtur in vincula, quod Euangelii miniſtros domi tenerent: plures ob Chriſtianam do-

ctrinam: & piæ lectionis ſtudium, atque hi omnes primùm bonorum ſuorum præſidio ſpoliantur. In his primi duo: quorum alter venientes ad ſe fideles piâ lectione confirmabat; is perfidiæ chirographũ dare iuſſus, atque à propoſito deſiſtere, in carcerem detruditur inuictus: ibi conſtantiam retinere, iuuandi proximos ſtudium non intermittere. Quare indignatus Suchedaius Omuram ad cæteros vinctos in cuſtodiam deportari iubet. Alter poſt varias peregrinationes vnà ſubeundi Martyrii cauſa ſuſceptas, cum Nangozachium deueniſſet incolúmis, è veſtigio in ſolitudinem ſeceſſit, vt tranquillè ageret vitam quam in Chriſtianæ fidei prælio pro votis ponere non potuerat. Nec verò ibi ſibi vacare ſoli, aliorum deditus emolumento, complures & natu grandes fidei rudimentis imbuere, & recéns natos potiſſimum baptizare. Ergo ſtatim defertur ad vnum ex Otonis qui hominem accerſitum, quis, cuias, quid ageret, rógat: tum ratus occaſionem adeſſe profundendi ſanguinis, repetito altè principio multa de ſuis peregrinationibus, & vitæ genere ita copioſè ac

lucu-

luculentè dicere, vt viam ſibi munire ad martyrium facile perſpicerent circunſtantes. Et cùm Imperatoris interdictum apponeret Otona; Ego verò, inquit, propterea hæc audeo, quia cæleſtem legem quàm Imperatoris edicta pluris facio; quin etiam vt Cubo morem geram, de Chriſtiana doctrina, deque his quæ ad veram ſalutem pertinent ſilentium nullo vnquam tempore tenebo, imò & apud te coràm, ſi audire placet, hæc eadem ſine metu, ſine mora prædicabo. Miſereor quippè hominem Chriſtianum mortalis Domini iuſſa tanti facientem, vt æterni obliuiſcaris imperia. Porrò ſi hanc viam pergis inſiſtere, quò ferâre præter gehennam video prorſus nihil. Ad ea iudex pudore ſimul, & furore correptus, incertum quo animo, iubet, vt, quæ ſibi dixerat, ſcripto redderet. Paruit impigrè generoſus miles, exſcriptamque breui orationem tradidit. Dein miſſus in carcerem martyrii palmam cogitat. Dogici præterea quatuor ſolitarii, cum proximos ad ſe confluentes pro viribus iuuarẽt, miſſis repentè viatoribus comprehenſi, ac vinculis onuſti ſiſtuntur præfecto. Iubet is

vt chirographo dato ſanctè iurent, nihil à ſe in poſterum de Chriſtiana doctrina, aut æterna ſalute prædicatum iri, mox recuſantes, atque contra ſibi faciendum pollicentes demittit in carcerem. Ibi martyrium præſtolantur ita conſtantes, vt oblatum à Chriſtiano Otona patrociniũ ſtrenuè reiecerint. quippè qui cauſam ſuam Deo committerent, & ab hominibus ſusceptam nõ ita dignè aut liberè defendendam pertimeſcerent. Alium qui diuerſa latebat in ſylua, nefarii tandem ſatellites inuenêre; ſciſcitatique an Chriſtianis rebus ſtuderet; cum ſe hominem diceret idiotam, eò loci conceſſiſſe vt licentius Deo vacaret; properè incenſo tuguriolo abigunt, iubentque, vt in oppidum recipiat ſeſe. His atq; aliis præclarè geſtis nefarius ille quem dicebam ſicariorum grex odioſus haberi vulgo, maximè verò Dux ipſe qui non abs re paſſim à Chriſtianis Societatis Iudas appellabatur. Hominem adeo cæteri abhorrebant, vt conductas eius domos deſererent alii, alius pecuniam ſoluere parantem repulerit, quòd à tali proditore vel argentum ſe nolle diceret. Adde cum quod ex
ſordido

ſordido vitæ genere ſoleret, diuendere nihil poterat, aut neceſſarias operas præſenti comparare pecunia; miſerum ſemel accerſitus eluſit tonſor, cauſamque roganti reſpondit, ita ſibi impoſitum fuiſſe à vicinis ne tam perfido Iudę operam locaret ſuam; ſecus; ipſum deinceps conſueta eorum conductione ac mercede cariturum. Igitur his opprobriis, ac præſertim Iudæ cognomine irritatus, iudicem confeſtim adit queribundus atq; vt in vincula detrudantur duo, auctor eſt: neq; id miſero impunè fuit; præter alia detrimenta lento etiam morbo miſerandum in modum contabeſcit indies magno cæterorum documento, qui cæleſtem vindictam manifeſto in ſupplicio facile recognoſcunt: Pares luunt pœnas omnes illi qui proximis annis martyrem noſtrum P. Ioannem Baptiſtam per ſummam impietatem prodidêre. Eorum quippe duo mortem ſibi attulerunt more Iaponico, tertius per huiuſce vrbis compita puerorum iocis & ludibrio viuit cardiacus. Interea dum hæc Nangazachii geruntur, Chriſtiani, redeunte ex Curia Gonzocho ad maiorem lapidationem obarmare

ſeſe. precibus, meditationibus, ieiuniis ac cæteræ inſiſtere corporis macerationi, è matronis multæ paruulos miſerabiliter vagientes ad vbera, non niſi ſemel per ſingulos admouere dies, innocentium puerorũ ſodalitas orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam pro Chriſtianæ Reipublicæ tranquillitate vicibus ter centum mille recitatas ad P. Prouincialem pro xeniolo miſit. Præfectus verò primùm diſſimulare, benignè agere, atque etiam bona verba dare. Cæterum quæ violenta ſunt, ea diu durare non poſſunt. Proindè paulò pòſt virus euomere paulatim, ſpeculatores addere, vicorum capita, Chriſtianũ quemque monere, vt cum Ethnicis benignè agant, Chriſtianos haud impediant, quò minus à fide cum velint reſilire poſſint. Fanum præterea condidit, vt & priſcis ſuperſtitionibus aſſuefaceret animos, & planum id faceret quod in curia ſpopõderat, Chriſtianam videlicet religionem à ſe radicitus exſtirpatum iri. Eo conſilio multos dein ad defectionem apertè ſuadere, in quibus Otona fuit primarius Chriſtianus. Is præfectum multis pro amicitia, vt aiebat, rogantem

gantem constantissimè illudens; quod satagis, inquit, exequi nulla ratione possum, tam verè saluti aduersantur, quàm institutioni meæ; à quibus degenerare indignum, atque indecorum puto. Et me & liberos meos Societatis Patres multis apud se annis ad omnia fidei, pietatisque officia confirmarunt. Quapropter caue quæso aliquid à me expectes hac disciplina atque indole alienum. Refrixit iis auditis præfectus, & pari constantiâ repulsus ab aliis, nefariis imposterum suasionibus abstinuit. Victorem Otonam per Nuncios cum gratulatione collaudatum ad perseuerantiam Prouincialis animauit. Curaret insuper vt cæteri Otonæ pares spiritus in eodem periculo præstarent. Paratum se cùm opus foret in aciem prodire, coramque præfecto religionem sine metu profiteri. Id quoque non mediocriter erexit Christianos. At Gonzochus Sacerdotes in custodiam ad confessiones excipiendas ventitare subodoratus, intendere animum speculatores iubet, ac si quem agnoscerent, eum sequi dissimulanter, vt hospitio notato facilè comprehenderetur. Valuisset sagacitas nisi

diuina

diuina prouidentia aliundè præpediret, oblatis per occasionem confessionibus, quibus audiendis occupati, ad hospitia non peruenêre; & domi alienæ quæsiti, paulò pòst (quippe re confecta discesserāt) haud deprehensi sunt. Nè tamen operam perdere præfectus videretur, aliquot è plebe in vincula deiecit: In his cæcum grauiter obiurgatum quod pias cantilenas repeteret: Feminam cuius domunculam precandi causa conueniebant aliæ: Sinensem Ethnicum institorem, qui paucos religiosos è Manila militari habitu adduxerat. Inter hæc verò discrimina nostri handquaquam desidere. Animabant per se ipsi multos, multis aliorum interuentu ferebant opem, omnibus denique quoad fieri poterat pœnitentiæ atque Eucharistiæ Sacramenta ministrabant. Ea verò munia sæpe Sinensi, famulari sæpe habitu, alii aliis artibus obibant impigrè, nudis aliquando per niuem pedibus ingressi, & Altaris ornamenta baiulantes. Cōsultum & infantium baptismo cúm Sacerdotis copia non esset, per Sodalitatum præfectos. Item grauiter ægrotantibus, nec non pueris elementariis ne per

Magi-

Magiſtrorum incuriam ſolemnes precandi formulas, & fidei rudimenta dediſcerẽt. Atque in hunc fermè modum antiqua pietas corroborata & aucta eſt, multique vt Euangelii Miniſtros clam haberent, multorum commodorum vltrò fecere iacturam. Excelluit eo in genere vidua ex eorum numero, qui ob deprehenſum in vico Sacerdotem, bonis ſuis euertebantur. Hæc præfecti Miniſtros enixè rogabat, vt quoniam vinculorum exors manebat, tenue ſaltem peculium diriperẽt; dein voti compos inuſitata efferri lætitia. Alteram dato iam in cuſtodiam marito propinqui hortabantur vt liberos domi alienæ occuleret, ac de facultatibus aliquid in alimenta ſubtraheret. At ego filios ſi abeſſent, inquit, domum conuocarem, & pecunioſior eſſe vellem quo plura fiſco traderem, vel potiùs Deo libentior dedicarem. Inuaſerunt publici ſcribæ de præfecti mandato, domeſticum Otonæ inſtrumentum, petitoque, ad conficiendum album, atramentario, ecce tibi octo annorum puella, calamum porrigens repentè proſilit; ac me, inquit, primo loco deſcribite. Deſcripſêre quan-

quam

quam miraculo attoniti, ac deinde matrem, quæ liberos omnes, vt in codicem referrentur insigni pietate conquirebat. Hæc paulò pòst abeuntes iam Ministros è limine compellans, & reuocans, Apponite, inquit, cæteris filiis sexennem hunc, simulque prehensum manu puerum demōstrabat, quem casu quiescentem ex obliuione prætermiserat.

Nangazachiensis Custodia.

IN tam acerba temporum conditionē pro Collegiis nostrorumque domiciliis supputare necesse est custodias. Et quidem Nangazachii varias vnâ religionis causâ occuparunt hoc anno Christiani amplius viginti, totidem in præcipuo carcere detinebantur, pro fide deni terni, reliqui variis de causis. Horum princeps erat è Societate Frater Chimiora Leonardus qui ad necem quæsiti adolescentis vt falsò putabatur conscius, in custodiam datus est; postmodum verò fictæ criminationis absolutus, mutatâ in melius calumniâ, quod infrà memorabo, verus Christianus

& mar-

& martyr gloriosus euasit. Hunc igitur si rerum exitus spectemus, non sine peculiari Numinis prouidentia dixerim per triennium ea habitum in custodia, vt multorum salutem, id quod postea patuit, velut per ocium procuraret. Et verò carcerem ipsum cuius sibi locum squalore ac pædore præcipuum delegerat. bono Christi odore adeo compleuit, vt sacra potius ædes, quàm ergastulum videretur. Vincti quippè omnes maximè tredecim illi quorum causa erat religio, Magistro ac Duce Leonardo alacres inter se, nihil nisi seria cælestiaque tractare. Singulis quibusque diebus vbi primùm inalbesceret, alteram mentali, vocali dein alteram horam impendere: recitare Sanctorum Litanias; reliquum verò tempus ad prandium vsque spirituali lectione transigere. A prandio suas quisque res priuatim agere, conquiescere. Post meridiem prima precationis hora transacta, sequentes quatuor legendo, scribendo, aliis pro cuiusque arbitrio laboribus, aut occupationibus distineri. Mox iterare lectionem spiritualem, atque integram orationis horam, sequentis demum diei prelibare

bare meditationem. Ad hæc per ſingulas
hebdomadas feriam quartam, ſextam, ſab-
batum vniuerſi, nonnulli etiam feriam ſe-
cundam ieiunio, atque aſpera verberatio-
ne tranſmittere. Sextâ in quinque Chriſti
vulnerũ gratiam totidem extraordinarias
horas orationi dabant. Menſibus ſingulis
ſolennes quadraginta horas pro Euange-
lii præconibus & Iaponiis Chriſtianis, iis
maximè, qui pro fide aut vinculis oppreſſi,
aut calamitatibus afflicti forent, celebra-
bant. Hæc cæteri auctore Leonardo quaſi
ad Martyrium proludere videbantur. Ipſe
verò poſtmodum, eo quem dicebam loco,
in altius tabernaculum dodrantium ſex
præ reorum frequentia commutato, eas
loci patiebatur anguſtias, vt ſedere quin
tecto caput allideret minimè poſſet. Ibi
ſolidum annum feſtiuis exceptis diebus
ieiunium tenuit, & præter memorata com-
muniaq; cum cæteris pœnitentiæ ſtudia,
quater ſingulis hebdomadis diuerberabat
ſeſe Deo cum primis gratus quod ſibi om-
nes diuturni carceris moleſtias incompa-
rabili alacritate, ac lætitia commutaret.
Inde verò mira diligentia ſpirituſque ar-

dore

dore totum iuuandis proximis inſumere triennium. Recèns adductos in vincula benignè tractare; Chriſtianis reformare myſteriis; ſalutaris contritionis & pœnitentiæ leges, atque officia ſuadere. Capitis damnatos erigere, conſolari, inſtruere, atque ad mortem rectè obeundam comparare. Inuiſentes cæleſtibus excipere colloquiis, ad Chriſtianæ legis obſeruantiam adhortari, corrogare egenis eleemoſynas, victũ ſuum impartiri, languentibus adeſſe, accerſere medicũ. Huiuſmodi fuit octogenaria vetula quã pro carceris foribus agentem, diarii ſui parte ad mortem vſque ſuſtentauit. Munuſcula, cæteraque per eleemoſynam collata in medium afferre ſolebat, ad ſingulorum, atque vniuerſorum communes vſus, quin & aliis in cuſtodiis incluſos non rarò iuuit. Porrò ea charitate ac comitate Leonardus ita omnium voluntates promeruit vt arduum nihil aggrederetur, quin ad optatos exitus nulla difficultate perduceret. Baptizauit in eo triennio nonaginta ſex, cæteros ita Chriſtianâ philoſophiâ erudiit, vt ferè nemo eſſet, qui cruciatus omnes, & acerbiſſimam pro Chriſto mortem non

expeteret. Thomas quidam in vincula deiectus eo crimine fuerat, quòd Religiosos domi tenere dubio rumore vulgaretur. Sed cùm deinceps præter ſuſpicionem liquidò conſtaret, nihil impetrarunt à Magiſtratu potentes amici, vt liber abiret è cuſtodiâ. Dictam diceres in ſontem capitalem ſententiam, ita Thomas in lachrymas, & ſingultus erumpere, reſtitare, queri quod inuitum ſe longamq; carceris & tormentorum ſeriem, tam iuſta de cauſa vltrò expetentem, demitterent. Perſpecta viri virtus, & patiendi ardor fideles cæteros incredibiliter animauit. Inter aliorum criminum reos, Ethnicus erat quidam, qui Chriſtianum ementitus, omnia quæ dixi pietatis, ac pœnitentiæ officia cum Chriſtianis impigrè obibat. Is appropinquante ſupplicii die cùm expedita crux eſſet, & ipſi coram Carnifices, nec opinatò comperendinari iubetur à præfecto. Proinde ſine morâ cuſtodiæ redditur in præſentiâ, magno ſuo bono. Quippe cùm id temporis viſitandi hominis gratia veniſſet è Chriſtianis vnus à quo ſe baptizatum ferebat, rogatus is à Leonardo an verum eſſet, abſolutè negauit.

uit. Maiori dein adhibita diligentia, cognitoque ſimulatè egiſſe præ pudore, inſtruitur Catechiſmo, baptizatur, ac deinde feliciori patibulo mulctatur. Ob certam pecuniæ ſummam clanculo ſubtractam famulum innocentem vexabat herus: ille cùm tormentorum atrocitatem ferre nullo modo poſſet, primò ſibi, dein vetulæ furtum impoſuit eâ cauſâ grauiter excruciatæ: quodque grauius, ſua ipſe peccata præ iſtius pudore, pridem non expiabat. Monuit hominem Leonardus officii ſui, boniſque conſiliis eo breui adduxit, vt & miſeram falſo crimine leuaret, & flagitium ipſe ſuum legitimè confeſſus, elueret. Annum deind integrum partim pœnitentia ductus, partim vt ſuam innocentiam Deus ipſe per ſe patefaceret ſeruilem ſeſe in modum caſtigare, noctu benè cruentâ flagellatione laceſſere; in ſingulas hebdomadas quatridui ieiunium, tridui ſilentium tenere adeo ſeuerum, vt ne hiſceret quidem, vini abſtinentiâ, lecti aſperitate, nocturnis precationibus, omnibus denique ſtudiis actionibuſque germanam pœnitentiæ formam atque ſpeciem exprimere. Hæc nimi-

rum in carcere; quò per eos dies cum fortè deiectus esset alius vulneribus in rixâ grauiter affectus duodecim, eius curam suscipere, tractare familiariter miris modis, atq; artibus reficere, esse deniq́ue vinctis cæteris exemplo singulari. Sed cùm ad extremum furunculus ille domesticus minimè deprehenderetur, capitale supplicium innoxius adolescens egregiâ pietate ac pœnitentia luit. Alium diuersa in custodia iuuenem audita biduo Christianæ legis mysteria non perpulerant ad fidem. Is videre sibi per quietem videbatur virgines tres candido radiantes amictu, è quibus accedentem vnam rogasse, an se nosset? Negantiq́ue atque idipsum quærenti, respondisse: Ego sum sancta, tu verò cur Christianus non es? Ad hæc iuuenis Ethnicum qui aderat digito monstrare, suadere, vt eum prius Christianum faceret. Tum virgo: Is & ipse, inquit, Christo nomen dabit, serius tamen: tu verò ne differas. Dein porrexisse edulii nescio quid, atq; vt comederet hortatam esse. Remeasse postmodum ad socias: idq; cùm semel atque iterum fecisset, tertiò vigilantem se, virginem ipsam clarè exaudisse,

diſſe,ac vidiſſe teſtabatur Iuuenis; totumq́; carcerem, cùm intempeſta nox eſſet, meridianâ quâdam ac diuinâ luce circunfuſum. Mox appetente die Chriſtianos percunctatus quænam illa ſancta eſſet, iis Deiparam Virginem interpretantibus totam viſionis ſeriem aperuit, ac tandem Chriſto credidit. Ex iis Chriſtianis qui Omurenſium Martyrum cauſa in vincula præcipitati ſunt, quidam Yocoxæ Antonius, ex carceris incommodis contracto circa fauces vlcere ad valetudinem recuperandam domum è cuſtodiâ dimiſſus, ibidem paulò pòſt efflauit animam. Hæc in publicâ Nangaſachii cuſtodiâ, quam non immeritò dixerim virtutum palæſtram, cùm in ea tot Chriſti milites per ſummam carnis afflictationem ad extremos Martyrii congreſſus exercere ſeſe, ac tirocinium ponere viderentur.

Nangaſachij Martyres quinque viui comburuntur.

GOnzochus itaque cauſas è Curia deciſas referens, cùm cæteros eiuſdem

calumniæ affines liberaſſet, vnum Leonardum in cuſtodia retinuit, & mox in Chriſtianos quatuor capitalem ſententiam pronuntiat quòd Euangelii Miniſtros contra Imperatoris edictum hoſpitio excepiſſent. Ij fuere Murayana Iocuam Andreas, Yoxida Xoun Ioannes, & Coſmas, ac Dominicus Georgius gente Luſitanus Patris Caroli Spinolæ hoſpes. Quibus animis, quo ore, lethales nũcios exceperint egregii viri ex vna Dominici ad P. Prouincialem epiſtola coniici poteſt. Pridie, inquit, exitus mei ab hoc miſerabili ſæculo breues has litteras exaratas relinquo, eius amoris indices, ac teſtes quo veſtram Paternitatem, cæteroſque Societatis Patres ac Fratres complector vniuerſos. Deo ita viſum eſt infinitæ pietatis, ac miſericordiæ Domino, vt hac tàm optabili, tamque iucunda morte decederem. Et quando verò ego in ſpem veni tale ac tantum à Deo obtinendi beneficium veſtra Paternitas Deo ac Deiparæ Virgini cæteriſq; Societatis Patribus ac Fratribus impendio commendet, quibus in vniuerſum ſcribere præ temporis anguſtiis non valeo. Hæc ille.

Quibus

Quibus acceptis Prouincialis per celeres internuncios non ſine fauſta gratulatione reſpondit, paucisque ad mortem fortiter obeundam, & fidem publicè teſtandam confirmauit. Dein ad ſupremam luctam comparare ſeſe omnes, Deo vitam ex animo offerre, conſtantiam, perſeuerantiam precari à Superis, adeuntes amicos, ac familiares hilari vultu excipere. In his vxores fuere ac liberi ad vlnas ſublati, quorum manantes oculi non beatam Martyrum ſortem dolere, ſed inuidere videbantur. Intereà multa iam nocte Leonardus inſcius ſibi deſtinatæ coronæ, cæteros Chriſti bellatores familiaribus inſtruere conſiliis, cõmunire præſidiis firmiſſimis atque ad rogos inflammare. Cùm nec opinanti nunciatur ad extructas quatuor pyras denuò quintam adiici atrocitate ac magnitudine parem. Tum ſubita perfuſus lętitia; Hic, inquit, meus eſt rogus. De quo licet incertus adhuc ſim, ſpero tamen fore, vt hoc me Deus Dominus ornet beneficio. Ea nox integra, tam confirmandis ſociis, quàm certi Nuncii expectatione tranſigitur. Et clara luce mox Leonardum cum cæteris

adeſſe iubet Præfectus. Hic ille inſolita ef-
ferri lætitia, exin decantato in gratiarum
actionem Pſalmo, Laudate; ac Cantico
Nunc dimittis, ante crucifixi effigiem pro-
uoluitur in genua ſupplex. Mox è cuſtodia
catenis oneratus producitur. Latè iam id
temporis manauerat per vrbem vniuerſam
fama; Fit ingens omnium ordinum omnis
ætatis concurſus: alii, quia apud multos
erat Leonardi gratia, ſupremos in ample-
xus ruere, alii deprecatorem velle apud Su-
peros. Ipſe cunctos incredibili alacritate
circumſpicere, reſalutare, hortari vt in fide
atque officio ad extremum vſque ſpiritum
perſeuerarent, gratias Deo agere immor-
tales quod ſe Martyrii compotem facturus
videretur; tandem valere iuſſis omnibus
excedit, ac Præfecto ſiſtitur. Quo mox an
è Societate eſſet percunctãte, Sum inquit,
neque te hoc aut ignorare, aut obliuiſci
poſſe puto, cum prætorium iſtud tui ſalu-
tandi & colendi ſtudio, tam Societatis ha-
bitu, quam ſuperiorum nomine, diu mul-
tumque frequentauerim. Sub ea Præfectus
ſciſcitari, cur in Iapone contra Imperato-
ris voluntatem remanſiſſet? Vt Chriſti
Euan-

Euangelium, ait Leonardus, prædicarem, id quod antehac præſtiti ſemper, præſtaboque donec viuam. Tum barbarus; Hac igitur de cauſa viuum te ac ſentientem torrere Cubus iubet. addiditque ſecundò huiuſmodi ſupplicium non fuiſſe decretum ſuprà memorati adoleſcentis reſpectu; cuius occaſione per errorem fuerat in vincula deiectus, ſed quod è Societate eſſet & Chriſtianam religionem intra Iaponios fines Cubo non conſentiente prædicaret. Mirum quantæ voluptati Leonardo fuerit tàm veteris abſolutio calumniæ, quam noui criminis adeo teſtata, atque aperta damnatio; inde primum Præfecto lætâ fronte gratificans, pòſt ad circumſtantes conuerſus, Liquidò inquit percipite me non aliâ quàm promulgandi Euangelii cauſâ condemnari. Dein coram ipſo Magiſtratu ad perſeuerantiam conſtantes, transfugas ad pœnitentiam, infideles ad fidem, paucis adhortatur. Quibus exactis Pæfectus ad Leonardi ſocios vertit ſeſe; ac primò Dominicum rogat; an P. Spinolam ſpreto Imperatoris edicto domi clam habuiſſet? ad ea Dominicus; Nihil eſt quod iterum quæ-

ras inquit, anno proximo quæsiisti, annuique, cum hoc vno crimine in carcerem deiecisti. Et quamuis contra Cubi legem esse certo scirem, Patrem nihilominus apud me retinere non dubitaui. Pronunciata dein capitis sententia, Pluris hanc inquit pendo quàm totius Iaponis imperium, si tradidisses. Par cæterorum fuit responsio. Deinde alacres quasi triumphum agerent ad supplicium vadunt. Visendi mox studio concurrit tam varia, tamque conferta omnis ætatis & sexus vtriusq; turba vrbis, vt maxima pars vacua relinqueretur omnino, atque hominum cymbarumq; multitudo, montium, & circumfusi maris eriperet conspectum. Emicabat ex oculis ac fronte Martyrum mirus ardor atq; alacritas quibus intuentium oculos, animosq; corriperent. Non minor hic fidelium pietas & studia, quàm cum è custodia producerentur ad Magistratum, perspecta sunt. Nec sanè prætermittenda Macaensium Lusitanorum deuotio, qui cum per eos dies mercaturam in oppido exercerent, gentilitium Martyrem Dominicum fluentibus vbertim lachrymis prosequebantur.

 Pati

Pati tamen ipſe haud potuit, quin eorum commiſeratione clementer increpata, ad grates Deo agendas pro tam ſingulari beneficio incitaret, Diem illum feſtum potius, quàm luctuoſum habendum. Interim ſocii viam facere cõcionabundi, præcipuè verò Leonardus ex Prouincialis præſcripto barbaras ſuperſtitiones refellere, Chriſtianam fidem vnicum veræ ſalutis iter affirmare: idque tum maximè cum iàm media in lignorum ſtrue ad ſuum quiſque palum alligatus eſſet. Ibi præmiſſa patibulo reuerentia poſt extrema mutuæ ſalutationis officia (tam inter ſe quàm bene precantibus amicis valere iuſſis) cœpere ſubleuatis oculis ſubiecto igne inflammari, ea nimirum conſtantia & alacritate vt eorum nemo vel minimum doloris ſenſum, declinando, aut contrahendo membra, patefaceret. Fuit incredibilis omnium admiratio, tam lætos vultus in ea ſupplicii fæditate contuentium; diuque per totam vrbem nihil aliud in compitis ac circulis agitari. Et verò Leonardus vbi torreri ſeſe concepto igne ſenſit, cæleſti velut afflatus ardore, nihil eas flammas vrere, nihil excruciare teſtificans

ſtificans hilari facie iterare Pſalmum, Laudate, atq; ipſas etiam flammas quaſi vtraque manu corriperet capiti venerabundus imponere. Nec non interea circumſtantes Chriſtiani ſublatis vndequaq; clamoribus ſacroſancta IESV & MARIAE nomina inuocare. Innocentiũ puerorum Sodalitas in vno eodemque ſcalmo congregata, communes precandi formulas & Pſalmos in conſpectu ardentium Martyrum atq; altè crepitantium flammarum vocibus ad harmoniam modulatis decantare. Viſi quoq; ipſi animoſo quodam igne ardere Chriſtiani ſpectatores atque ad extructos rogos glorioſæ mortis amore ferri velut præcipites atq; alienati. Sinenſis quidam niſi turba impediret ibat, ac ſeſe daturus in flammas videbatur. Coniuges duo eodem ſpiritus ardore an ruere ſibi liceret in rogos ſciſcitabãtur. Holocauſtum ſequuta mox bona verba atque ingens Chriſtianorum lætitia, & pro fide pereundi ardor nec non infidelium conuerſio non vulgaris. Martyrum corpora minutiſſimas in reliquias, ac cineres per otiũ redacta in præaltũ mare barbari proiecere carnifices; vt eſſẽt nimi-

rum

rũ posteà in pretio maiori, eruta non sine capitis aliquo periculo. Vrinatores quippe Christiani bonam eorum partem, imo ex profundo eduxere, factumque ex carnificum barbarie, vt sacra ossa plurimas in particulas comminuta, plurium in Christianorum potestatem ac venerationem deuenirent. Peracta ea cædes fuit decimo quarto Kal. Decemb.

Erat Leonardus patria Nangozaquiensis apud nostros à prima pueritia institutus, tredecim natus annos in dogicum, vicesimo septimo in societatem cooptatus, septemdecim in ea posuit pietate ac vera humilitate cõspicuus. Et quamuis operam litteris dedisset egregiè, non minus accuratè aut æquanimiter temporarij adiutoris officio functus est. Proximos pro virili parte iuuabat, eaque re cum Iapone pellerentur Nostri, Nangasachij iussus est remanere. Postremò in custodiam datus eo quem dixi vitæ tenore ad extremam vitam seruato, eximium tulit operæ suæ fructum. Patriamque suam ipse luculento Christianæ pietatis, ac fortitudinis exemplo non decorauit solum, sed etiam ad arduam cœli

viam capeſcendam inflammauit.

Dominicus Georgius natione Luſitanus ex Interamnenſi prouincia natus eſt in parœcia S. Domani, in agro pagi quem vocant, Aguiar de ſenſa; patrem habuit Georgium Pyrium à Cruce, matrem Iſabellam Pyriam Goetam, præclarè ſobolis ornamẽto non indecores. Ipſe verò Dominicus cùm in India per aliquot annos ſtipendia non ſine fortitudinis laude feciſſet, ad extremum in Iaponem delatus, vxore Nangazachij ducta pietatis ac deuotionis ſtudia mirificè colebat. Dein excita procella vnus erat eorum qui noſtri Ordinis homines clanculum domi habebant, apud quem cùm deprehenſus eſſet P. Carolus Spinola cum fratre Ambroſio Fernandio, vti anno ſuperiore meminimus, in vincula mox cõiectus, annum ibi ſolidum, pietatis, ac patientiæ clariut exemplo; iuuenis deniquè vxoris, ac liberorum curam proijciens in Deum, alba veſte, quippe Deiparæ ſodalis, velut æternitatis candidatum decebat, atrociſſimum Martyrij genus exorbuit. rem adijcio memoratu iucundiſſimam: quo tempore Dominici exanimes artus atque

ossa torribus vndiq; admotis penitus comburere nitebantur carnifices, prosiluit è circunstanti agmine puer; ad rogumque dissimulanter accedens quasi vellet ignem accendere prægrandi Dominici osse celeriter inuolato, dat se in fugam, hærent in tergo satellites, cæterum mira pueri sagacitate delusi, quippe vbi ad multitudinis primos peruenit, abiectâ repente prædâ conuersus ad insequentes, vacuasq; ostentãs manus, Quid vos à me, inquit quæritis? en cernite quàm nihil subtraxerim, id postea os Macaensem in vrbem asportatum, nõ defuere nobiles Lusitani qui affabrè cælatâ custodirent pixide pondo aureorũ centum quinquaginta, excepto manus pretio, quod sine dubio minimum ducentos exæquabit.

Andreas Iaponius Nangazachii natus, baptizatusque infans à Nostris patrem habuit Ioan. Antoniũ, primum è Christianis Otonis qui Remp. nuper administrarunt: eius mores ac vitam cùm improbaret Andreas fratrum natu maior toto patrimonii iure cessit, seorsimque vitam instituit, liberiore conscientia ibi Christianæ pietatis

exemplo

exemplo eſſe, domi occulere religioſos viros, ad Sacramenta Chriſtianos euocare. ea re colligari mox iubetur à Præfecto, atque in cuſtodiam demitti, id quod Andreas moliri potius videbatur, quam metuere. Quapropter iniectos à lictore funes manu retinens, capitique lætus imponens: Nunquam mihi aliàs, inquit, contigit catenis opprimi, vnde vehementer gaudeo quod hanc primùm ignominiam Chriſti cauſa ſubeo. Re melius conſideratâ publico abſtinuit carcere Gonzochus, Andreamque pro dignitate apud honeſtum virum libera velut in cuſtodia depoſuit: ibi ſe ad mortem præparare vir egregius & necis genus quamlibet atrociſſimum meditari, nec verò minores in præludio, quàm in periculo geſſit ſpiritus.

Ioannes oriundus ab vrbe Meaco baptiſmum Nangazachij ſuſcepit à Noſtris, ibi domicilio, coniuge, ac liberis præditus, cognito Religioſorum quendam hoſpitij defectu, in proximo diuerſari nemore, eueſtigiò quæſitum abijt ac domum ſuam recepit. Ea de cauſa miſſo poſtridie lictore in carcerem detrudere Gonzochus iubet.

iubet. ſtetit animis ſtrenuus miles fortiterque labores & cætera carceris incommoda ſuperauit. Is adeuntem aliquando cum liberis vxorem allocutus: Qúa, inquit, animi ſuauitate perfundar ex quo in hæc vincula deiectus ſum, nulla tibi ratione aut oratione poſſum declarare. Hac vna ſpiritus voluptate, ac futuri præmij ſpe, carceris incommoda ſentio non modò toleratu leuia, ſed etiam iucundiſſima. Adde quod hoc ipſum atque alia permulta in me diuinitus collocata beneficia, dum perpendo, & rerum mortalium penitus obliuiſcor, & temporis diuturnitate non grauor; hic ego ſi decem aut viginti annos, imò totam vitam conſumerem moleſtè non ferrem. Spero tamẽ fore vt breui me miſericordiæ pater ille ab hoc ad ſe euocet ergaſtulo. Tibi hoc vnum maximè commendo, vt vitam meam, tuamque iuxtà, Deo libentiſſimè offeras atque immoles ſi pro Chriſto ſanguinem aliquando profundere contingat; ſin condonandum ſexui Magiſtratus cenſeat, illud te etiam atque etiam rogo vt nullis rerum difficultatibus oppreſſa deficias à Chriſto: ſed teque communeſque

liberos Chriſtiana religione ſapienter inſtituas. Hæc Ioannes ad vxorem ac filios, qui patris conſilia adeo retinuerunt altè, vt paulò pòſt ſexennis puella pro carceris veſtibulo de martyrij gloria non ſine diuino afflatu adſtantiumq; admiratione multa luculenter & copioſè dixerit. Ipſa verò mater cum Deo totam poſteritatem conſecrare vehementer expeteret, quodam è propinquis filiolum adoptandi gratia efflagitante. Nolo inquit hoſtias minuere; negauitque omnino nulla egeſtatis habita ratione.

Coſmas ex Corea vbi ortus erat in Iaponem venit, vndecim natus annos, qua in ætate baptizatus eſt à Noſtris. in famulatu deinde fuit induſtriæ ac fidelitatis nomine collaudatus poſtea rude nec non domicilio donatus ab hero, varios Euangelii præcones domi furtim retinuit. ea illi cauſa, vt anno proximo propter Dominicanos duos in cuſtodiam deturbaretur. ibi cùm cæteris ea quæ dixi ſtudia pœnitentiæ colere eò diligentiùs, quò non inſolens faciebat. Decem retro annis ſingulas hebdomadas duplici ieiunio tranſegerat. Didicit

in carcere litteras vt animum pia lectione pasceret: tandem supplicii certus: An fieri potest, inquit, vt mihi bipedũ flagiosissimo tam singulare beneficium Dominus conferat? Sub hæc lachrymis præ gaudio manantibus Psalmum Laudate, ac Sanctorum Litaniam recitauit. Quibus peractis ad supplicium ductus est. Hos itaque flammis, alios deinde ferro Præfectus sustulit vti memorabo.

Nangazachij Martyres vndecim iugulantur.

LEgem Gonzochus promulgauerat impiam atque ab omni ęquitate prorsus alienam, vt causa videlicet furtim retinendi Sacerdotes non ipsis modò Legis violatoribus, sed violatorum vicinis ad primos decem, capitalis esset. proinde multos eo nomine publica detinebat in custodia: vndecimque paulò pòst eodem vertente mense trucidauit quinto Kal. Decembris: paria eorum in vinculis pœnitentiæ officia, nec sanè causa impar, aut minus gloriosa. Paucis antè diebus quàm duceren-

tur ad supplicium sciscitatus est Præfectus, an inter eos ethnicus esset aliquis, an verò Christiani omnes. Num quis à fide vellet transfugere. ea tamen, aliisq; id genus tentationibus strenuè superatis, eo maiores spiritus gessere quo mortis suæ causam dignam magis ac decoram esse sentiebant. Neq; omissa per eos dies opportuna Prouincialis incitamenta quibus maiorem in modum stabiliti, fidem suam perseuerantiamque datis ad eundem chirographis obligarunt. Capitali demum pronunciata sententia cunctos Pater admonuit, quo pacto sese ad certamen accingere, fidem profiteri, Idola detestari, incitare cõfluentes ad perseuerantiam, ac tandem quo habitu, qua fronte mortem subire deberent. Oblata dein Sacerdotis copia si quis confiteri vellet, opus haud esse respondent quòd paulò ante crimina, cæterosque animi scrupulos apud vnum è Nostris deposuissent. Stabant itaque parati, prompti, alacres, ac nihil nisi Carnifices desiderabãt. Est in Iapone genus hominum infimæ ac pudendæ sortis, quibus ex antiqua gentis consuetudine moris est capitis damnatos

ad

ad lanienam ducere, colligare, interficere. Horum Christianus vnus supplicio interesse, ac suum munus obire iussus, strenuè detrectauit imperium: quippe qui negaret reos illos similes eorum esse qui scelerum ac maleficiorum conuicti iustè puniebantur: id ministerii neque à se, neque ab sociis vllo modo præstitum iri, optimè gnaris quanta eiusmodi damnatos dignitate reuerentiaque tractari oporteat, proinde tempori parcerent Magistratus, nec frustra in ea persuasione collocarent. His dictis è conspectu indignabundus abit; coactis deinde sociis rem totam exponit. Ex condicto deliberant in eo se negotio fortunas vitamq; præ salute non habituros. Sub hæc expiare crimina parati esse non ad iugulandum, sed ostentandum pro Christo iugulum. Quod vbi comperit Gonzochus re dissimulata famulos misit (vti antè fecerat in prædictos quinque) qui carnificum officio fungerētur. Et priusquam exequeretur sententiam, citatos ad se Martyres de fide denuò interrogat. Dein planè confessos ad supplicium emittit. Processere magno totius populi concursu, gratulatio-

ne, pompa, ordine, nec non corporis animíque habitu & alacritate. Tandem vbi peruentum est in aream repagulis vndequaq; circũseptam, positis genibus, inuocatisque IESV & MARIAE nominibus, securi percutiuntur. Interea circumstantes Christiani Sacrosancta implorare nomina; Innocentium Sodalitas Litaniam, ac Psalmos de more repetere; corpora deinde in profundum abiecta nullis non artibus indagarunt atque ad vnum omnia eduxere Christiani, habentque in honore ac veneratione eximia. Eo constantiæ, ac pietatis exemplo mirum in modũ confirmati omnes, præsertim Otonæ quorum primus quisque ad obeundam pro fide mortem conspirarunt interposito solemni iuramẽto. Martyrum ea sunt nomina Cotenda Chiumi Thomas, Nacano Matthias, Matzuuoca Romanus, Motoyama Ioannes, Cozasa Matthias, Chymmura Antonius, Nacamura Alexius, Pachexita Michael, Nacanixi Leo, Xechi Bartholomęus, Iuananga Ioannes.

Thomas Firandensis è primaria loci nobilitate Tonum tam arcto consanguinita-

tis attingebat gradu vt ſucceſſore deficiente ſatrapiam hæreditario iure vindicare poſſet. Octauo poſt Natalem die baptizatus à Noſtris Chriſtianam doctrinam imis retinebat in medullis. planum id facere cœpit ætatis anno ſecundo & viceſimo, quo tempore aduerſus Toni nefarias perſuaſiones fidem cõſtanter ac publicè profeſſus, ne deinceps æterna ſalute periclitaretur cum Patre Hieronymo Nangazachium venit exilio voluntario; exulem ſecuti vtriuſque ſexus Clientes circiter nongenti: ad quos ſubinde acceſſere plures alii, eorumque bona pars hodie Nangazachii degunt, ac fidem extrema per omnia conſtantiſſimè tuentur. Ibi verò Thomas ſuiq; annos exilii, vel potius egeſtatis ſummæ, numerare amplius viginti quin à propoſito deſciſcerent. Imo ad ea non vulgares pœnitentiæ ſolebat exercitationes adiicere; ferias ſextas & ſabbata ieiunare; per ſingulos maioris hebdomadæ dies ſemel veſci, ac feriam ſextam in Dominicæ paſſionis gratiam tranſigere impranſus; ter ſe diuerberare, ſingulis hebdomadis, idq; in extremo vitæ triennio per ſingulas noctes

consuescere: ad hæc, macerandi corporis causa vestibus crassiore textu ac serico tomento suffultis æstiuare, hybernare simplicibus ijsque tenuissimis per intolerandam temporum varietatem meditationi paucas horas interdiu, plures de nocte incumbere quo in genere adeo nõnunquam erat animo ab sensibus alienato, vt in colloquijs parũ officiosus videretur. Postquàm Nangazachij nostro in tẽplo Eucharistia ritè collocata est, singulis eã noctibus è limine salutabat mira quadam spiritus suauitate recreatus. Martyrij tot tantisque efferebatur votis, vt post excitatã in Christianos tempestatem id vnum lethi genus apud se perpetuo reputaret. Dicere solebat quoties ex morbo mori se posse cogitaret, quin aliquid præclarè in Christi obsequio aut pateretur, aut ageret; in quiete spiritu adeò exagitari, vt noctes sæpe traduceret insomnes ac more Themistoclis Miltiadis tropæa æmulantis, experrectus vehementi cogitatione prodiret in plateã. Ergo Thomas id quod in votis habebat, obtinuit. Vici caput erat in quo Sacerdos fuerat comprehensus, ea re mox in custodiam datus
est,

eſt,indignante filio Andrea puero quod in totius familiæ codicem de more cōfectum non referretur. In carcere ad commemoratas corporis afflictiones addidit feriæ quartæ ieiunium,antequā iugularetur monitus à Chriſtianis, vt lōgè promiſſam cæſariem Iaponico more abraderet, ne hebetaret,aut impediret acinacem: Cōſulto inquit adoleſcere permiſi,vt exercita in dei gratiam plures per ictus patientia lentiori morte occumberem.

Nacana Matthias Domanus, & Cozaſa Matthias, Omurenſes: Motoyama Ioannes & Alexius è regno Figen, Chriſtiana pietate præſtantes incitatis ad perſeuerantiam liberis atque vxoribus ceruices ferro ſtrenuè dedere. Antonius Firandenſis annum ætatis agebat tertium & viceſimum, eius ardorem iuxta ac varias Ethnicorum vicit oppugnationes. Vinctum ad frangēdam impiè fidem hortabātur: & Antonius, Deus meliora inquit, nunquam ego ſanè mei potens hoc flagitij dedecoriſque admittam vel propoſito Iaponis principatu. Minantibus ſubinde falſos perfidiæ teſtes apud Magiſtratum,vehemēter excanduit:

 addi-

additidítque ab ſe mox coram Præfecto, ſi talia mentirentur fraudis, ac mendacii luce palam conuictum iri. Iis auditis deferbuere Barbari.

Michael Nangazachienſis annos natus viginti quinque cùm aliarum virtutũ, tum præſertim manſuetudinis & caſtimoniæ conſpiciendus exemplo: donec vixit aliorum inopiæ, ac propriæ conſcientiæ puritati ſtudioſè conſuluit. Leo Lamangutii natus emeritis ſtipendiis miles Nangazachium venit, ibi ſuſcepto baptiſmate Martyrio coronatus eſt ætatis anno quadrageſimo tertio.

Bartholomęo patria fuit oppidũ Vſchichi in regno Bungi, domi noſtræ octo per annos adminiſter, quanquam corpore infirmus animi vires ſibi diuinitus collatas ad atrociſſimos quoſque cruciatus pro fide ſubeundos affirmabat. Ne mihi (ſubdidit ad vxorem) ſi necem condonet Præfectus, abitúmque è cuſtodia; pridem conſtitui angulum domicilii carceris inſtar exſtruere, ac reliquam ætatem in tenebris collocare ſolitarius. Quod ſupereſt inquit fidem retine nec te filiorum quorum Deus

ipſe

ipſe curam ſuſcipiet, ſollicitudo angat.

Iuananga Ioannes ferè ſexagenarius ex prouincia Tacacu, natus eſt in oppido nomine Cigiua, Nangaſachii verò ad Eccleſiam noſtrorum acceſſit opera. Id ætatis homo ſingulis noctibus primæ quietis incommodiſſimo tempore ad deprecandum euigilare, exurgere, in carcere humilitatis exemplo eſſe, dum cæteris natu grandior, omnibus perinde ac heris adminiſtraret. His vndecim Chriſti milites ad veram gloriam veſtigiis properarunt, eſſentque duodecim niſi apud vnum plus vitæ quàm Dei poſſet amor. Cuius vbi reſciuit vxor ad carcerem fremibunda conuolat, ac de perfidia grauiter obiurgat, rubore veriùs, quàm pudore ſuffuſum. Ille contumelioſe ſe tractatum queſtus, abire feminam iubet, ac ſibi deinceps de neceſſario victu nihil remittere, nullatenus accepturo. Tum femina: Ergo ne putabas, inquit, tibi à me amplius neceſſaria miniſtratum iri? porrò id ego feci hactenus quod virum te fore ſperarem: verùm ex quo fidem fregiſti turpiter, nō ego te modo non curabo deinceps, ſed etiam ad hanc vſque diem

porcum

porcum me ſaginaſſe exiſtimabo. habuiſti
hactenus in matrimonio coniugem, poſt
hac nec ſub iiſdem trabibus hoſpitem ha-
bebis. Sub hæc terga vertit ac parte ſub-
ſtantiæ domeſticique inſtrumenti capta
vertitur ad filiolum, ac, Tu quoque patri
tuo, inquit, ſimilis haud dubiè futurus, va-
le, ſine te atque incomitatam abire ſatius
eſt. Cæterum ad oppetēdam pro fide mor-
tem cum ſe paratum puer oſtenderet, vl-
trò comitem aſſumpſit; dein varijs artibus
à præfecto ſolicitata, Chriſtianam religio-
nem obfirmato retinuit animo. Deſerto-
rem maritum non ſine ſupplicio diuina
prætermiſit vltio. Tantum ſibi miſer infa-
miæ atque odij conflauit apud omnes, vt
eius cōſpectum nemo non auerſetur: pueri
ludibundi cantilenis, iocis, cauillis proſcin-
dunt, ac traducunt. Quin & cognati Eth-
nici inconſtantiam deteſtati, fracta omnis
officij atque hoſpitij fide, non ſolum non
excepere domi, ſed vnus etiam locatis æ-
dibus emouit. Ad ſtrenuam verò feminã;
Si cum imbelli marito tu quoq; defeciſſes,
inquit, venum à me profecto dareris. At
quoniam maſculos præbuiſti ſpiritus, vi-
ctum

tum insuper cum egueris suppeditabo: ita
mirum neque perfido pœna, neque fideli
desiderata merces.

Carcer Omurensis.

DIstat ab Nangazachio Omura leucas
maritimo itinere circiter sex, toti-
dem ibi religiosos anno proximo reliqui-
mus in custodiam missos, à Gonzocho, ex
auctoritate Imperatoris. Tres videlicet
Dominicanos, vnũ è Franciscano ordine,
duos è nostro. hi sunt P. Carolus Spinola,
Frater Ambrosius Fernandius. E Domini-
canis obiit vnus, reliqui varia carceris in-
commoda necessitatesq; vna Martyrii ex-
pectatione consolantur. Neq; interea pie-
tatis, ac pœnitentiæ officia intermittunt.
Euigilant ante lucem vniuersi, cunctis de-
inde sacrificiis intersunt, mox in oratione
mentali, vt vocant, integram insumunt
horam, cęteras vsque ad prandium vel pre-
catione, vel lectione pro arbitratu exigũt
Pomeridianas iisdem fermè exercitiis si-
ue priuatim, siue in commune: ante cæ-
nam Matutinas officii preces, ac Virginis
horas

horas bini recitant. Quibus peractis, si dies Dominicus sit, aut de festis præcipuis post Salue ac Deiparæ Litaniam cænatur, alias factis eisdem precationibus à cæna in verberationem conuenitur eò prolixam, donec Miserere variis cum precibus decantetur: tandem diligenti conscientiæ præmisso examine conquiescitur; cibus admodũ parcus, oriza, olera, singulæ haleces sale asseruatæ nec rarò corruptæ. His accedit ieiunium quotidianum, carcer ipse ventis, imbribusque peruius, peruetustus ac ruinosus adeo, vt quolibet flante vento tibicines apponere necesse sit; custodes vicissim varii multiq; ea humanitate quam à barbaris, aut fidei desertoribus expectare possis. Inde nimirum imbecillitas magna, valetudo plerumque aduersa, rerum deniq; omnium indigentia pæne sine subsidio; fame omnino, ac sordibus extabescerent, nisi superiorum Christianorumq; Omurensium caritas ingeniosa succurreret. hæc nempe modos excogitauit atque inuenit quibus sæpissimè tam atrox egestas, & solitudo leuaretur. Modò enim Omurenses per se clam custodibus, interdum custodes ipsi,

prout Chriſtianus quiſque, cibum, veſtes, & reliqua importabant neceſſaria vtique non ſine capitis aperto diſcrimine. vnde martyrij coronam tres nacti ſunt, quos inferiùs recenſebo. Qua occaſione, ſimulque quod è Cuſtodibus Chriſtiani aliquot Omurenſi Magiſtratui blandientes, barbarum in morem iurati promiſere, non vltrà ſe paſſuros, vt ad vinctos intromitteretur alimenti aliquid: decreuere Patres ipſi, ne quemquam vlteriùs in ſalutis diſcrimen adducerent, nihil niſi à Magiſtratu accipere. Neque per eos dies cùm admodum acerba fame premerẽtur, deerant ſpiritales deliciæ, quæ carnem nimijs laboribus fatigatam recrearent. Cæterum ordinaria victus parſimonia eò imbecillitatis breui deuenere, vt è cuſtodibus Chriſtiani nonnulli commiſeratione tacti, Nangazachium adirent, ſuperioribus eorum nũciaturi, nihil eſſe noui periculi quo minus vincti adſportata vt antè, tutò poſſent admittere. id negotij geſturos ſe ea dexteritate, vt periclitaretur nemo. Ea re perfectum, vt quanquam inuitus, Spinola cęterique, tamen alimenta neceſſaria quæ

confe-

conferebantur acciperent. Poſtea verò ne carceris ruina opprimerentur, dum nouus exſtruitur, tenebricoſam in parietinam migrare iuſſi, quot quantaque incommoda perpeſſi fuerint vix explicari poteſt: multiplicati cuſtodes, additique cuſtodum excubitores duo, Magiſtratus miniſtri, quorum interuentu nihil benignitatis poterat in vinctos exerceri. Certè quidem Ambroſius patientiæ cultor eximius in litteris ad Prouincialem datis, ſuam aliorumque imbecillitatem commemorãs, parum defuiſſe ait, quin ijs loci rerumque anguſtiis interirent vniuerſi. Horror præterea noui carceris, quem fama vero lõge arctiorem atque acerbiorem fecerat, vehementer angebat. eo paucis pòſt diebus migratum eſt, ergaſtulum verò dixerim in colle ſitum ac tempori latè expoſitum varianti. Ibi præter intima cuſtodiæ repagula, duo circumſtant ſepta ligneis cancellis obnixè communita, duplicis interiectu areæ, quarum alteram ſentibus ita conſtrauere, vt anguſtiſſimo tramiti vix datum ſit ſpatium. Huius aditum tuentur indefeſſi Cuſtodes, eorumque perpetuus ſpeculator, ne quid ipſi-

ipſimet, nedum extranei poſſint inferre. Vnde cùm ad ſummam egeſtatem nihil ſupplementi accedat, lenta paulatim macie, ac morte miſerandum in modum contabeſcunt. Interea tamen incredibilis eſt, vt affirmat vnus, animi dulcedo & ſuauitas, quam non mediocriter religioſi commilitones duo cumularũt, è Firandi inſulis adducti ad eandem cuſtodiam. ſunt itaque vincti in vniuerſum ſedecim. Religioſi octo, cæteri Dogici eodem nomine in vincula coniecti.

Omuræ Martyres tres.

ANtequam Chriſti milites vti paulò antè dicebam nouum traducerentur in carcerem, rerum omnium penuria pariter, ac difficultate extremè laborabant, proinde non Omurenſes modò ſed Nangazachienſes etiam Chriſtiani prout quiſque maxime poterat eorũ egeſtatem quàm occultiſſimis viis ſubleuare nitebantur. Inter hos fuere nonnulli è cuſtodibus ipſis, qui alimenta ab aliis collata vinctis afferebant intrepidè, cuius rei cùm ſuſpicio eſſet

mox ab Omurensi Præfecto Per Camis & Fotoques deierare compulsi, ac promittere nihil se huiusmodi facturos, aut fieri passuros in posterum. dedere manus alii per summam impietatem. Vnus Saxicata Toiemon Linus egregia virtute miles veteranus, liberè se Christianum testatus ac rei commotus indignitate in Præfecti verba iurare palam respuit. Atque ex eo ratus se haud dubiè capite mulctatum iri comparabat animos ad mortem; precabaturque à vinctis vt Christo Domino se quàm enixè commendarēt; quo Christianos vltimū adusq; finem spiritus, ostentaret. tandem coactis in epulum amicis, atque extremum salutatis pridie Kalend. Maij repētè à Præfecti ministris circūuenitur. Somno id temporis indulgebat Linus, sed primū ad acinacis ictū euigilans, attollitur in genua cōfestim, eoque corporis habitu, momento iugulatur: agebat ætatis annum tertium & tricesimum, bellicis artibus ac Toni clientela nominatus. multa pridem fidei tentamenta superauerat immobilis ac demum dilatæ necis occasionem nactus, fortiter occubuit. Habebat in matrimonio coniu-

gem

gem tanto dignam marito. quæ cùm virum ob oculos interemptum vidiſſet, Carnifices inſequuta: Ego quoque clamabat Chriſtiana ſum, & ſanguinem parata fundere cum marito: pepercere tamen ſatellites: quippe qui ſolam viri necem in mandatis attulerant; ſuam verò præſtantiſſima femina interim apud certum ciuem libera in cuſtodia cum filiolis operitur. Domeſtica ſupellex data Carnifici prædabundo. Martyris corpus domi propriæ defoſſum eſt. Profuit ſpectata Lini virtus & conſtantia non medioctiter: tres quippè de cuſtodibus nefario pollutis Sacramento, facti ſubeunte pœnitentia, palinodiam recantarunt; & conquiſitis quæ dederant chirographis, delectiſq; fidem conſtantiſſimè profeſſi ſunt. Nec defuere qui Præfectum mox ad vindictam irritarent; diſſimulauit tamẽ ne tres ſtrenuos, vt aiebat, milites, ac pro Tono rem bene gerere paratos, vnà de medio tolleret. Cæterum comperto Lini conſtantiam Michaelis cuiuſdam nobilis viri conſiliis corroboratam, eò perſeueraſſe, in eius ſe conuertit exitium. Iubet per internuncios vt à Chriſto deficiat. Re-

ſpondere Michael, id ſibi omnino illicitũ atque impium eſſe: cùm certò ſciat veram animæ ſalutem in Chriſtiana tantum fide reperiri. Exinde barbarus his auditis diſſimulare, ac rem indefinitam relinquere. interea Michael ad mortem auxilia comparare neceſſaria.

Duo præterea eiuſdem commiſerationis cauſa decimo tertio Kal. Iul. Martyrio coronati ſunt. Ij fuere Arizo Petrus & Conzacu Thomas natione Coree. Petrus ætatis annos numerabat duodetriginta, Toniq; præfectus ærario paucos aliquando eiuſdem famulos in poteſtate habuerat. Cæterum homo peregrinus, prudenſque ſibi non abſurdè cauens ab inuidia, munere abdicato vitam iam diu priuatam proprio alebat cenſu, inſigni comitate, ac pietate præditam, cùm ſemel Hiendum adiiſſet, rogauere Chriſtiani, vt Sacræ Sodalitati rite præeſſet: id verò Petrus donec Hiendi verſatus eſt adeo fecit diligenter, vt conſuetis conuentibus nunquam non interfuerit; quin agricolarum & opificum turbę immiſtus vir nobilis, fidelia dare conſilia ex tempore, atque omnes in officio retinere

tinere

tinere ſolitus, deinde annui fructus primitias ad vinctos Omurenſes miſſitare, cùm fortè ſingulos melopepones miſiſſet vniuſcuiuſque nomine in corticem inciſo, maius expectatione pretium recepit. Mãdauerat id negotii Thomæ Cubarẽſi agricolæ cuius opera atque induſtria vinctis collatitia miniſtrabantur alimenta. Is acceptatos melopepones cùm in carcerem meridiano temporis articulo deferret, ratus per abſentiam cuſtodum ſpeculatorem de more quieturum: prorſus excubantem offendit, pedemque referre cùm poſſet, ire perrexit intrepidus in apertum capitis diſcrimen, ne mortem turpiter effugere videretur, aut oblatam Martyrii palmam reſpuere. Igitur ad cuſtodiæ perueniens oſtium ducis munuſculum tradit, ac mox ab excubitore colligatus, rogatuſque ſemel atq; iterum de muneris auctore, haud quaquam aperuit. Eodem tempore Petrus re cognita velut Martyrii preſagus vxorem alloquens, melopepones ſuos quæſtuoſiſſimos eſſe dicere: quippe quibus ſperaret fore vt cælum ipſum compararetur: nec falſus vates fuit. paulò pòſt à miniſtris in

terrogatus apertè se & Xenioli aucto-rem, & cum tota familia Christianum confessus est. Nec deinde quanquam a-criter oppugnatus à proposito desciuit. Ergo insequenti die destinatus à Magi-stratu quidam è Petri familiaribus, vt ho-minem securi percuteret, primùm ab eo-dem philoteseo cratere conuiuioque per-amanter exceptus est. Dein Petrus ad pre-cationem haud exiguo petito interuallo, cum sese in conclaue recepisset obfirmato ad patientiam animo progressus ad implu-uium iugulatur. Ire in mariti vestigia cu-piebat vxor, sed bonis atq; ipso vestitu spo-liata, nec non domicilio emota cum liberis seminudis calamitatem patienter exorbet suam. Per idem ferè tempus Thomas agri-cola variè tentatus, inuictusque, cùm è re-gione carceris editum in collem produxis-sent, obtruncatus est.

Frater Ambrosius Fernandius è Societate IESV moritur in Omurensi custodia.

INterea omnes quotquot in vinculis at-tinebantur, viribus paulatim deficienti-bus,

bus, lento gradu ad mortem properare. præceſſitque reliquos deuexa iam ætate Frater Ambroſius, cuius obitum Spinola longiore ad P. Prouincialem epiſtola in hæc ferme verba deſcribit: Scribendi ad te cùm multæ mihi cauſæ, tum verò illa præcipua: vt optimi ſenis Ambroſii felicẽ exitum commemorem. Incommodo cibo atq; aſpero Frigore grauiter affectus obiit, ita feſtinato vt miraremur omnes. Vento ſideratus maligno vocis vſum ex parte primò amiſit, deinde omnino non ſine veneni ſuſpicione apoplecticus; quippe nimia ſanguinis eiecta copia ita poſt obitum calebat vt intempeſta nocte exanimem an ſemiuiuum æſtimare non poſſem. Vbi primùm ſtupore ſubito afflatus eſt, (quãquam illo ipſo die confeſſionis atque Euchariſtiæ Sacramenta ſuſceperat) tamen contenta voce palam interrogaui an expiata paulò antè crimina denuò confiteretur, ac totius anteactæ vitæ delicta doleret ex animo. Annuentemque celeriter abſolui. Rogãti præterea num id mortis pro Chriſto genus ęqui boni cõſuleret, clarè admodum reſpondens, Fiant inquit, omnia mo-

re atque arbitratu diuino. Imploratis deinde IESV & MARIAE nominibus, tertiò quæsiui an sacra vnctione ad supremam luctam vellet obarmari; assensitque vltimâ voce quæ liquidò intelligi posset. ad extremum media iam nocte venarum flaccessente, ac formicante pulsu, extremo inunxi Sacramento ad efflatam sclopei fomitis exiguam lucem (quippe lucernam precario petitam negauere custodes) moxque stato Litaniarum, Psalmorum, ac deprecationum concentu tranquillissimè obiit. cognito extinctum esse quidam è cæteris Religiosis, qui vertente hebdomada inter diuinas preces, ritè verba præire solebat, intenta voce tonuit Psalmum Laudate, ac solemnem in gratiarum actionem orationem sibi iunxit. Quibus peractis gratulari mihi omnes fraternum martyrium, inuidere gloriosam mortem, fælicissimum appellare, vtpote quem Deus ante obitum tot Sacramentorum beneficiis fuisset prosecutus; commilitonum apud superos memorem sine dubio futurum, atque omnibus propitium, perinde ac viuum, neque aduersa valetudo, neque mors ipsa grauem
cuiquam

cuiquam reddiderat, aut importunum. Ego quippe nondum maturus, præcedere neutiquam merui, propediem tamen expecto decretorium diem, hoc tanto præsertim suffragatore nixus, cui me viuo non ita deseruisse ac debebam vehemẽter doleo. Hactenus Spinola. Obiit verò Ambrosius septimo Idus Ianuarii, ætatis anno vndeseptuagesimo; & mox P. Prouincialis vbi resciuit, cũ pro Episcopo Iaponensi sit, Spinolæ mandauit vt præsentibus, ac ritè iuratis testibus rem cõstabiliret, signaretque. ij fuere omnes eiusdẽ carceris contubernales, quorum è testimoniis (præter ea quę nuper ex Spinolæ adduxi litteris) alia multa liquidò cõstitere, quæ viri sanctimoniam non mediocriter commendant: fuisse nimirum religionis causa datum in custodiam, cuius incommodis ac laboribus interijsset, ac præsertim frigore, cui arcendo missam Nangazachio lacernam, nullo senectutis respectu, interceperant impij custodes. Magnis martyrij votis, atque studijs incensum, quoties viuum se in ignem, aut in crucem agendum audiret adeo effusè lætari solitum, vt illa ipsa supplicia non-

nemo ſpiritualis ædificationis gratia, crebris interrogationibus obijceret: ac deniq; verum Chriſti martyrem (cuius veſtes & cætera omnia ſacrarum reliquiarum loco ducerent) in cęleſtium ordines relatum, & credere & venerari omnes. Erat Ambroſius gente Luſitanus, patria Xiſto Portuenſis Epiſcopatus vico. Militiam mercaturamque profeſſus, in India inſitæ modeſtiæ ac manſuetudinis ergô, omnibus quotquot aſſueuerat acceptiſſimus. Tandem in Sinas ac deinde Iaponem violentiſſimo compulſus typhone, in Societatem legitur adiutor temporarius, ibi per omnia veræ humilitatis ac deuotionis officia verſatus eſt adeò enixè vt multis pænè pertinax, ac nimius videretur. Certè hoc vltimo triennio illud magnoperè dolebat, quod brachio luxato non ita nunc, vt olim manus operi admouere poſſet; continenter ac ſumma intentione laborabat, vnde non raró maiorem in modũ fatigatus, ſomnoq; ac laſſitudine oppreſſus, quietem de nocte veſtitus, vbi ſors tulerat, capiebat, alacritate, modeſtia, patientiaque pænè paribus; haud vmquam exarſit iracundiâ, querentéſue minus familiari

miliari responsione dimisit: eodem vitæ tenore nemini varia per ministeria grauis, paupertatis amator studiosus, annos amplius triginta nouum nihil induit, cæterorum calceis ac vestibus attritis, vbi sui macerandi percupidus, edulia viliora deligere, fugitare delicias, bellaria, vinum, quibus nunquam nisi pro potestate iuberetur indulsit. Ea demum fuit Ambrosij virtus, & sanctimonia, toto vitæ curriculo, vt eum non immerito multi ad imitandum proponerēt. His accessit vltimo quæ sola deesse videbatur martyrij corona.

Saicoci prouincia ac satrapia.

TAcacum de Nostris quinque prout temporū conditio patiebatur, excoluere. ad pœnitentiæ atq; Eucharistiæ Sacramentum ventum est. puerorum instituta Sodalitas qui statis diebus in cœtum conueniunt, vbi & fidei rudimenta condiscunt, & peccata mulctant publicis pœnitentiæ suppliciis, quibus natu grandiores addere verberationes solent. Vnus annos natus duodecim à desertore reprehensus

patre, quod rei diuinæ adfuiſſet, agniq́ue cæleſtis circumgeſtaret effigiem. Hęc ego, inquit, nunquam pietatis officia quoad potero, prætermittam homo Chriſtianus: rapere deinde conantem è collo ſacrum geſtamen repulit à ſe, fugienſq́ue alienum in vicum omnes ibi deuotionis habenas pro volũtate admittit. Multorũ annorum confeſſiones auditæ, odia inueterata extincta, in gratiam cum legitimis vxoribus multi, multi cum Eccleſia rediere; ſolemni Quadrageſimæ ieiunio alii quotidiana verbera, verberibus, alii cilicium iunxere quotidianum. Semipaganum transfugam, atque animam diutino in pellicatu agentem, fortè adueniens è Noſtris vnus, Deo paulò ante mortem reconciliauit. Barbarus quidam Chriſtianæ philoſophiæ captus honeſtate, cùm ad Eccleſiam vehementer accedere optaret, monitus à Chriſtianis amicam domo pepulit, ac deinde cum parentibus, & familia baptiſmum ſuſcepit.

Saxumenſes in fide atque officio Sacramentorum ſæpè confirmati: ancillam neq; metu, neque ſupplicio malus herus potuit in perfidiam impellere. Chicungi & Fingi

ſatrapias obiere non ſemel noſtri maiore quam proximis annis tranquillitate, atque operę fructu. Yanãgauæ quod eſt Chicungi caput res accidit memoratu digna. ædis ſacræ materiem diripuit Magiſtratus ethnicus, (fuerat quippe Noſtris Yanangauæ non templum modo ſed & domicilium) vt propriam domum magnificentiùs ædificaret, perducitur ad faſtigium, vxorque, abſente tum temporis marito, fæminas, familiariſſimam quamque, contrahit in conuiuium gentis more: itur ab epulis in ædificii gratulationem, ac laudes: aliæ magnificentiam prædicare, ſtructuram aliæ, neque abnuere hoſpes; ſed cùm ita ſit, inquit, hic me tamen angit ſcrupulus, quod templi tignis, atque aſſamentis conſtet, iiſque præſertim in quibus erat S. Mariæ collocata imago; leuare ſolicitudinem reliquæ, auertere omen, eximere religionem; cùm ſubito infidelis fæmina expalleſcẽs; Anne cernitis ait, Anne cernitis Mariam puerum geſtantem in vlnis? iis abnuentibus, horrore perfuſa mulier, idem ter quater ingeminat, tandem morbo correpta paucis pòſt diebus exſpirat. Factum ea cœli vindicta,

vt

vt nouas ædes nemo inhabitare audeat, auxitque religionem alia ſubinde clades; extincti intra annum cum tota familia viri nobilis, qui vacuo Noſtrorum in domicilio fuerat diuerſatus. Exinde Barbari metu perculſi abſtinent vtraque domo, ne pœnas, vt aiunt, Chriſtianorum Deo luant. Nouem annorum puella dum ludo circa ripam cum aliis diſtinetur, effuſo repentè fluuio abrepta, certũ voluebatur ad interitum: niſi nuncupato quotidianæ Virginis coronę voto ſaluti conſuluiſſet. Elapſo mox ſemihoræ ſpatio, quod ſubter aquam fluitauerat, incolumis reperitur à parentibus. Narrabat ex quo ſe deuouiſſet, à Virgine liberatam.

Aditi Bungenſes Chriſtiani ac Sacris præſidiis ritè confirmati, magna laborum, ac periculorum ſegete; meſſis tamen iucundior: Multi facto fidei naufragio pœnitentiæ tabulam arripuere. In his vetula cum fidem non re, ſed verbo abiuraſſet, nihil habebat potius, quàm vt ritè ad Eccleſiam reuerteretur. Vna erat Sacerdotis mora, quem Chriſtianis alienatis inuenire nulla ratione poterat. Verſabatur id tem-

poris in oppido quidam è noſtris clande-ſtinus, cuius hoſpiti graue quoddam acci-diſſe infortunium, cùm anxia ſomniaſſet anus: exurgit prima luce, atque homi-nem conſolandi gratia conuenit, offendit pacatum, illæſum. Narrat deinde ſomniũ, aduentus ſui cauſam, & protracto ſermone cupere ſe iterum atq; iterum affirmat Pa-trem offendere, alloqui ac fidem redinte-grare. Suſpexit in eo negotio vir prudens altam Dei Domini prouidentiam: indicat hoſpitem, magno vetulę Chriſtianorumq; ſolatio res tota conficitur. Aliam violata fide ac longa viginti octo annorum deſue-tudine, Chriſtianę oblitam doctrinę, ſubiit aliquando pœnitentia, non ſine miraculo: quippe mox vbi intimè reſipuit, conſuetas precandi formulas momento recoluit; id quod ſæpè antea nequicquam tentauerat; dein ad Chriſtum rediit. Quædam cæte-roqui bene Chriſtiana ſolennes precatio-nes repetendi magna tenebatur incuria. Sed cum repentè inuſitato ſtomachi æſtu moribunda linqueretur animo, negligen-tiæ plecti ſe rata, recitandis orationibus bis inualuit ac deinceps perpetuam promiſit

dili-

diligentiam; ſpectatæ deuotionis alia præter familiam domum vicinam coëgerat, vt Natalem Chriſti Domini noctem (quando diuinis intereſſe non dabatur officiis) ſaltem fundendis vnà precibus celebrarẽt; nec mora ex condicto precationes exordiũtur. Cæterum breui ac necdum media nocte dormitauerunt omnes, & dormierũt. Et ipſa facti dux præ cæteris euigilans, cernit ob oculos horrendum ſpectrum (facies nimirum ingens in immenſum attollebatur, metuendo colore, ſuſpẽſa in aëre, atque immobilis) diabolumq́ue haud dubiè interpretata, cœptæ deuotionis interpellatorem; excitat, incitatq́ue reliquas expoſita ſpectri viſione. Recaleſcentibus depoſita ſpectri viſione. Recaleſcentibus deinde animis nihil vltra viſum. Neque is tantum fructus aderat in cœtu profligatæ conſcientiæ prauiq́ue propoſiti; femina, quæ nouo perculſa horrore mutauit animum.

Gotam Caratzum ac nonnulla Omurenſis ditionis oppida nec non Chicugen, & Bugen ſatrapias peragrauit ſocius vnus magno labore & fructu. Palabundi varii ad caſtra & ordines remearunt.

Can-

Cangayamafaito Iacobus Martyrio coronatur.

HIc eſt Iacobus ille belli, paciſque artibus inter Iaponios proceres ſatis notus, & veteranus perinde Chriſtianus, ac miles, quem ſi rectè memini, domicilio, cenſu, ac loco emotum, proximis litteris reliquimus, in tugurium tota cum familia incluſum, religionis cauſa, ſeſeque libera in cuſtodia lethales ad acinacis ictus comparantem, iuſſu Yetchundoni Bugẽſis Dynaſtæ. Qui cùm Iacobi cõſtantiam nõ poſſet infringere, tandem hoc anno per internũcios expoſtulans, præter capitalem ſententiam ſcripto miſit cauſas, ſeu potius querimonias. Eæ tredecim reducebantur ad capita. Vltimo Chriſtianæ fidei tenacitas vitio dabatur, reliquæ interpoſitæ continebantur offenſiones. His ille dum pacatè parat ſatisfacere, nihil opus eſt inquiunt miniſtri, reliqua omnia benignè tibi Princeps condonat: vna Chriſtianæ fidei cauſa obtruncare iubet. Ad ea Iacobus ingentes ſe Tono gratias agere reſpondet, quippe

id mortis genus pro Christo vnicè optaret. Vertit deinde se ad circumstantes palamq; monuit vt accuratè notarent latam capitis sententiam, pariter & causam, nempe absolui se posse illicò, ac pristinum in locum restitui, modò fidem deserat. Erat id temporis in penetralibus vxor Maria, ac de tribus vna Lucia filia, quas extremum salutare nequaquam passus est, nisi facta sponsione lachrymas atque eiulatum continēdi. Stare promissis nō potuit affectus, ebullientibus repentè lachrymis ruunt, hæc in mariti, illa in genitoris amplexus, ac sine fine superstites se lamentantur. reprehendere Iacobus vtramque, monere tempus illud non mœrore luctuque, sed festa lætitia celebrandum. Sub hæc præsentissimis pro tempore instruit consiliis. dein prouolutus in genua, ante crucifixi imaginē, libato de salutari cōtritione libello, ac precibus fusis, Deo se totum ac Deiparæ Virgini, ex intimo sensu commendat; ac demum post familiaria Iaponico more pocula, valere iussis omnibus, vestitu quem maximè festum habebat, processit ad lictores. Ij fuere caligę, ac tunicą Europæo more,

re, quanquam Iaponico hanc in illas infuderit ac patrium ſuperinduerit amiculum, Chimonem vocant, manicis non vltra cubitos eminentibus. Europæas veſtes ab noſtro homine P. Gregorio Ceſpedio acceperat, atque in religioſi præceptoris, vt aiebat, memoriam eo ritu cultuq; dies feſtos agere conſueuerat. Tum ſchapham conſcendens vehitur in deſtinatum ſupplicii locum mille paſſibus ab vrbe Cocura, quæ ſatrapiæ caput eſt, ac Toni ſedes. Inter nauigandum quæ fuerint egregii viri colloquia cum barbaris, facile coniectu eſt. Inculcare Chriſtianam legem, vnam veræ ſalutis viam, monere ne perhorreſcerent quanquam Chriſtianos hodie tam oppreſſos cernerent; breui quippe reddita pace vberiores Chriſti, quam ante, fides prouētus fore in Iapone: queri de ſe nunnunquam quod per acerbiſſimos cruciatus animam exhalare non liceret. Silentium deinde tenuit monitis antè lictoribus (ne metu facere putaretur) ſolenne id eſſe Chriſtianis ad Dei Domini conſpectum adeuntibus, cum omni verborum ſtrepitu alieni, quibus maximè poſſunt animi viri-

 bus

bus Deo ſe in ſinu commendant. Ab exſcenſu ſericum exuit amictum, & Comiti Chriſtiano cuidā tradidit in certam eleëmoſynā; dein pedibus nudis vadere, Pſalmos, Litaniaſque alternis repetere vſque ad collem in conſpectu poſitum. Ibi poſitis genibus precatione facta, imploratiſque IESV ac MARIAE nominibus, ea tranquillitate iugulum ferro præbuit, vt Carnificem docuerit ipſemet quo pacto maiorem in cædēdo dexteritatem teneret. Cæſus eſt Idibus Octobris: corpus à duobus Chriſtianis quoad licuit ritè ſepultum eſt.

Ætatis annos computabat Iacobus quatuor & quinquaginta, natus in oppido Sacatzuchi & Satrapia Iſunocuni: puer decem annorum baptizatus à P. Ludouico Froio, non ſolum ab ea ætate, ſed etiam toto vitæ curſu formam verè Chriſtiani militis ac ducis, expreſſit, pietatis, ac pœnitētiæ officia coluit mirum in modum. Subiicio exemplum vnum, cæteris ob breuitatem ſuperſedebo. Per ſingulos Quadrageſimæ dies corporis membra quinque totidem cauteriis ſingula, inurere ſolebat in quinque vulnerum Chriſti gratiam. Multos

tos annos pro homine inimicissimo certas quotidiè preces ad Deum fudit. Variè prę-terea crebroque tentatus fidem incomparabili virtute retinuit; multis vt ad Christū accederent auctor fuit, multis vt in suscepta fide permanerent. Amisêre Christiani Patrem, Societas protectorem. Cætera quę ad præclari viri commendationem faciunt scripsimus anno proximo. Insistere eandem Martyrii viam impēsè cupiebat vxor, ac Lucia filia, id quod ipsa litteris ad P. Prouincialem datis quam apertissimè testatur, in quibus illud est scitè ac sapienter dictū. Qua inquit nocte pater meus certos capitalis sententiæ nuntios accepit, intimè gaudebam, quòd in me quoque sine dubio sæuiendum arbitrarer; at vbi præter spem superstes fui, quàm doluerim prorsus explicare nescio. Similis mihi videor eorum, qui iuxta vulgare prouerbium à diuitiarum monte inopes ac miseri reuertuntur.

Cangayama Fanzayemon Balthazar cum Iacobo filio in Bungensi oppido Figi pro fide obijt.

EOdem mense ac die paremq; ob caussam in Regno Bungi cum filiolo Iacobo securi percussus est Balthasar, nuper memorati martyris Iacobi leuir. erant vterque in eiusdem Toni clientela: sed Balthasar ea potissimùm loca, vectigaliaque procurabat, quæ licet intra Bungi terminos exigerentur, tamen ad Yetehunnum pertinebant Buiensem dynastam, ibi Balthasar cùm proprio sensu polleret, eodem vti iam scripsimus exturbatus religionis ergo, exilium, paupertatem, appositas custodias aliaque sexcenta incommoda forti superabat animo. Cùm subitò nihil aliud agitandi lethales afferuntur nuncii & capitalis sententia. Culpæ dabatur vna in Christiana fide perseuerantia. stetit animis egregius vir, neq; animi frontísue serenitatem amisit; quin habitis Tono gratiis, cum intro se ad matrem Iustam, cõiugem Luciam, ac Theclam filiam recepisset omnia mu-

tuæ ſalutationis peregit officia; dare inſuper extemporalia monita conſiliaque ad laborum tolerantiam, perſeuerantiam & ſanctimoniam, nunc ſingulas adhortari, nunc vniuerſas. his interponere nonnunquam immortales in Deum gratias, quod ſe ad excelſum martyrij faſtigium compẽdiario lethi genere vocaret. Quibus cùm diſtinetur, interrogatus ab Toni miniſtris vbi locorum maximè vellet interfici, totam rem ipſorum reiecit arbitrio. At Thecla; Quãdoquidem inquit, pater nec furti, nec flagitij conuictus damnaris, nihil eſt quod pedem domo efferas, hîc intra domeſticos parietes occumbere & tibi licebit, & iuuabit tuos. Ad ea Balthaſar filiæ dicta refellere exemplo Chriſti Domini, qui ſumma præditus innocentia, duos inter latrones in publico ſupplicii loco, extra portam paſſus eſt: cupere ſe quam maximè ſimilem pro Domino ferre ignominiam; dolere quod ita omnino fieri non poſſet. ſub hæc ante ſacram imaginem procumbit in genua ſupplicabundus; dein elutis feſtum in morem ab vxore ac filia pedibus cultuque mutato altera manu imaginem, altera ce-

reum ferens accenſum, procedebat ad li-ctores, cum interuentu pueri Iacobi deti-netur. Arctè complexus parentem puer, atque ad pedes abiectus lachrymis vbertim fluentibus rogabat, vt ſecum deferret. Cui renitens Balthaſar, quãquam alioquin de-ſtinatæ puero cædis ignarus, permiſit vt ſe-ſe veſtibus in amœniorem cultum permu-tatis comitaretur. Mox ad martyrii locum diuerſis vijs vterque profecti: eò vbi ven-tum eſt, hæc fermè verba feciſſe Balthaſar dicitur ad miniſtros; Mirari vos ego credo, viri, ac me prorſus amẽtem æſtimare, quod ferro potius ceruices, quàm Principi ma-nus dare, ac morem gerere velim, per ſum-mam Chriſtianæ religionis iniuriam. Por-rò hæc me facere ſcitote eo conſilio, quòd hac vna fide nouerim gẽtes humanas poſſe ad veram animarũ ſalutem peruenire. hæc vna vnum docet eſſe totius mundi condi-torem Deum, cuius ad ſupremum tribunal ſiſti omnes homines nullo excepto neceſſe ſit. Xaca & Amida quos colitis, quorumq; iſte mera fabula, illè merus homo fuit, ab Xiani regno oriundus, liberis & coniugio deditus, nemini mortali vitam aut ſoſpita-

re, aut prorogare possunt: obiêre antiqui dynastæ, ac cæteri Fotochium cultores vniuersi, nec vitam suam miseri tam profuso cultu, totque donariis redimere potuerũt, nimirũ fixam à summo, ac vero Deo semel moriendi legem nemini licet refigere: omnes ad vnum interituros decreuit vt coram se vel pro flagitiis pœnas immortales, vel pro rectè factis gloriam sempiternam reciperent. Quapropter hoc vnum vos iterum atque iterum rogo, vt hanc summi Creatoris legem ac fidem toto suscipiatis animo, quo æternam consequamini salutem: reliquæ vitæ annos plurimum viginti aut triginta numerabitis. hinc animarum salus, cùm æterna sit, maximique momenti, cæteris vitæ voluptatibus debet anteponi. Nec verò Christianam fidẽ putetis, quanquam hodie grauiter laborantem videatis totis vnquam radicibus exstirpatum iri. Breui data pace regerminabit, audietisque fusius quæ modò festinata rudique oratione sum persecutus. Nemo vestrûm quæso vicem meam doleat, quippe cùm nullius criminis reus sim. Vna Christianæ fidei causa iugulari non modò boni consulo,

ſed etiam glorioſum puto. His dictis prouolutus in genua ceruicem ferro præbuit. Secutus deinde Iacobus quadrimus ex imperio Toni, ætatis annos cenſebat pater fore ſeptem & quadraginta.

Chongocu & Xichocu Prouinciæ.

LVſtrato à ſocio vno operæ pretio minimè vulgari; In Chunchocu Farima Mimaſaca Bipen Achi Satrapiæ pergratæ. In Xichocu Iyo, Sanuchi, Aua, Toparchiæ; nec non inſulæ Xondoxima, & Xinacu; quibus in locis lõgæ peregrinationis pericula multorum conuerſio, & reconciliatio mitigauit. Vocayame quod eſt caput Satrapiæ Byen in vrbe frequentiſſima tanta fuit Chriſtianorum alacritas ad Sacramenta confluentium, vt modum imponere neceſſe fuerit ne tumultus, aut noua tempeſtas excitaretur. Iyenſes Chriſtiani mira vſi induſtria intra Ethnici Toni palatium rei diuinæ interfuerunt. Hoc ipſemet commemorat in epiſtola Sacerdos, vt longè poſitis æſtimare liceat temporum difficultates, ac diſcrimina, additque fuiſſe id temporis

poris ſub eodem tecto dynaſtam, rei tamē prorſus ignarum. Sacrificium ipſum quanquam id loci benè ac feliciter peractum, Firoximæ in regione Achi ſecūdiores res, ſupra trecentos in ſummis rerum anguſtiis genua Baali non curuauere, qui ſecus miris artibus ad Eccleſiam poſtliminio rediere. dies circiter viginti quinque abſumpti, noctesque inſomnes ferè vniuerſę, vt fidelium ſtudio fieret ſatis. Habitus in cuſtodiam acceſſus vbi noſtri Ordinis ſacerdos detinebatur natione Iaponius: cuius labores & patiētiam ſcripſimus anno ſuperiore. Hoc tamen is Pater Auguſto vertente menſe euaſit è cuſtodia, quippe Tono ſatrapia emoto, in aliamque ab Imperatore migrare iuſſo, omnes Iaponico more cuſtodiæ patefactæ ſunt, ac vincti liberè dimiſſi. Noſter cùm prope triennium moraretur in carcere nihil de conſueto Euangelicæ prædicationis remiſit ſtudio. Et quanquam anguſtiſſimo eſſet in loco, ſeu loculis, vt aiebat, multos è turpiſſimo transfugio reuocauit ad fidem. In his honorarium Toni ephebum longa Ethnicorum conſuetudine pæne infidelem, cæterū ex quo reſipuit adeo

constantem vt domino ad impura solicitanti animosè restiterit. Suspicanti deinde ac quærenti an Christianus esset, palam confessus est, neque à sententia deterreri potuit, vel ipso capitis proposito periculo, quo nondum liber Martyriũ propediem expectat. fæmina tredecim annos à Christo abiuncta, cùm multa nequidquam supplicasset Fotoquibus, demum intellexit vanos esse deos, redireque ad Ecclesiam constituit: ea meditanti visus (per quietem necne dubitat) è Nostris Sacerdos vnus egregiè linteatus, qui diceret eam quà ingrediebatur spatiosam viam non nisi ad Tartarum ferre viatores. Proinde reuerteret ad verum salutis iter quod initio instituerat. arripuit consilium mulier, cumque perfidiæ suasore marito ad Christi caulam remeauit. Firoximæ Christiani sex quod in fide persisterẽt, publicatis bonis, domicilio pulsis eorũ duo perfugio carẽtes omni, ad leprosos sese in nosocomium contulere, ac indidem mox eiecti per summam egestatem & nefarias cognatorum persuasiones illæsa pietate ac fide peregrinantur.

Ozaca, Sacai vrbes, Chinocuni Satrapia.

SAcai & Ozacam vrbes & Chinocuni Satrapiam coluere Socii tres, maior ibi ad agendum fiducia. Ozacenses magno animorum cōsensu, vitam & fortunas omnes religioni posthabere decreuerunt, Patrem deinde apud se habere, vt quolibet imminente periculo esset vnde peteretur auxilium. Et quanquam nulla sequuta fuerit turbatio, non tamen apparatus ipse frustrà fuit. Ozacæ baptismo ablutus adolescens qui sibi chia vinoq; interdixerat, donec omnia Christianæ religionis rudiméta perdisceret, ac sacro fonte renasceretur. Is triennio postquam hæc vouerat, Ozacam longo centum quinquaginta leucarum itinere aduenit, vbi inuiolabili voto incredibilique animi lætitia Baptismum suscepit; sacra imagine, precariis globulis, ac cerea cælestis agni effigie donatus à Patre, præ ipso Iaponis Imperatore diuitem se atq; beatum prædicabat. Prostibulum insanabili cōtracto morbo cū iam ad sterquiliniū abduceretur ob nidorē, à leprosis in itinere hospitali domo excipitur, fidei mysteriis imbuitur postridieq; magno an-

teactæ

teactæ vitæ dolore baptizatur & obit. In-
teribant ex vulgata cõtagione infãtes per-
multi Ethnicorum filij, quorũ saluti nouo
inuento consultum à Christianis. Medicũ
mẽtiebatur quispiam & comitãte Dogico
baptismi gratia moribũdos inuisebat. Ten-
tabat simulatè pulsum, ac Dogicus interea
baptizabat. Re peracta hospite comiter
salutato discedebant, ea via multi ad supe-
ros maturè properarũt. Fæmina quædã ex
dono diuinitus concesso dæmoniis pro ad-
mirabili potestate imperitat: arreptos vbi
adsunt statim lustrali aqua perfundit, sus-
pensisq; è collo virgineis globulis, ac pro-
nunciato IESV nomine iubet, vt quam pri-
mùm abeat spiritus nequam. Quibus per-
actis, extemplo attonitis rei nouitate bar-
baris, dat sese in fugam hostis. Chinochuni
regionem paucorum mensium spatio per-
agrauit è Nostris vnus. Excepit hospitio
nobilis homo Toiama nomine, tanti spiri-
tus vir, vt domus suæ penetralia dum præ-
sens periculum tenebit occulendis Patri-
bus in Dei gratiam dedicauerit. Is socero
ad epulas inuitante atque in sermone Pa-
tris hospitium leuiter perstringente, tan-
tum subitò exarsit in iracundiam, vt è con-
uiuio

uiuio indignabundus abſceſſerit, nec deinde vlla potuit ratione reuocari; quippe qui diceret in ea ſe re conſilii nõ indigere, cùm vitam & opes ſuaque omnia Christi denouiſſet obſequio & Euangelio. Illo itaque conclaui pro ſacra æde Chriſtiani vtuntur; Miniſtrat ipſe nõnunquam Sacerdoti operanti, ac nobiles alios ſuo in eam rem prouocat exemplo. Ad hęc vt alios ſapienter erudire poſſet, non Catechiſmum modò, ſed noſtras etiam litteras apprimè didicit, vt Europæos libros lectitando, audientium aures, animoſq; noua eruditione pelliceret. Et verò ad eam vrbem vbi Pater commoratus eſt, finitimi quiq; confluxere Chriſtiani vt Sacramẽta ſuſciperent. Multorum annorum confeſſiones exceptæ, baptiſmo luſtrati nonnulli.

Miacum & illius Carcer.

Miaci reſedere Sacerdotes duo iniquiſſimo tempore, ac loco; eorum alter Hiendũ ad Imperii ſedem profectus Chriſtianos illos Franciſcanorum operâ diligẽter inſtitutos, Magiſtris abſentibus omni ope ac ratione iuuit. Et quanquam longiore cultura indigerent, ea tamẽ procurãdæ ſalutis ſtudio tenebantur, vt nõ pauci duo

decim-

decim tredecimvè dierũ iter cauſa facien-dæ confeſſionis arriperẽt. Obiter animati omnes, & Sacramẽtis corroborati. Inde cũ Miacum repeteret noſter Surunga, Ouari, Mino & Omi Sarrapiis peragratis, nõ ſinè laude ad ſtationem rediit. Miaci noua tem-peſtas tantillam hanc Eccleſiæ pacem qua per hoſce dies fruebamur, omnino labe-fecit. Initia fuere huiuſmodi. Celebratis furtim Chriſti Domini Natalitiis magno Chriſtianorũ ſolatio, rem ſubodorati Eth-nici ad Præfectũ vrbis Ingandonũ celeriter deferunt, genus inquietũ, ac ſuę ſententiæ tenax nihil Imperatoris interdicta curare, Chriſtumq; vti antea venerari & colere: ad ea Præfectus diſſimulare, ac ſurdas præ-bere aures, ſuppreſſiſſetq; delationẽ, vt eſt ſuapte natura clemens & Chriſtianæ con-ſcius innocẽtiæ; niſi pendẽte controuerſia filius è curia cũ Imperatoris mãdato fortè aduenisſet, ac de re doctus patris animũ ad facinus incitaſſet; vereri ſe ne Chriſtianorũ impunitatem Cubus in malã partem acci-peret: proinde vniuerſos in vincula detru-deret, ne ſuũ, ſuorũq; capita manifeſto diſ-crimini obiiceret. Impulit præfectũ perni-cioſa monitio. Deliberat in Chriſti famu-

los saltẽ vt sibi cõsulat desæuire. Celebris est in vrbe vicus, Dei nomine, quem soli habitare cõsueuerant Christiani; principiũ fertur accepisse à quodã Foin Caio nobili viro quem censu & dignitate Christi causa deiectum eo loci Taicus Imperator amandauerat. Huius familia cùm Christum coleret vniuersa, occasionem vico præbuit eius cognominis. Certè in tanta veneratione fuit, vt vel ipsi Fotoquium cultores stipem vicatim emendicantes, velut asylum impunè præterirent, ac neque ipso de limine salutarent, certi nimirum nihil inde se vel honoris, vel emolumenti percepturos. Igitur quanquam multi agerent in vrbe Christiani variè dispersi, vnũ in Dei vicum quippe notissimum, Præfecti furor & sæuitia in præsentia conuertitur. Famulis eò destinatis mandat, vti Christianos omnes in vincula colligatos præcipitent. Dicto audientes auolant: vici portas more gentis improuiso præcludunt, addunt custodes & speculatores ne quis in tumultu elabatur: & mox effractis foribus domos irrumpunt: hos an Christiani sint interrogant, illos compertis sa-

cris Imaginibus nihil percunctati abripiunt. Interea vicini nec opinantes alij aliò diffugere, ingens vbique trepidatio, cunctis eius nouitatis causam prorsus ignorantibus; tandem catenis onustos triginta sex, atque vnum coactos in locum de fide interrogant, ad perfidiã incassum exhortantur: dein oblongo fune in seriem connexos vti oues ad carnificinam deducunt infinita hominum vi ad spectaculum confluente. Mirabantur atrocitatem alij, alij multitudinem & insolentiam detestabantur. Perrarò quippe ad Iaponios tot simul vincti rapiuntur in custodiam. Adde quòd nullo sexus, aut ætatis respectu feminas, infantesque præter auitam gentis consuetudinem in vincula perferebant. Interim tota vrbe sermo nullus nisi ea de re, fama videlicet omnia vero maiora, pluraque faciente. Causas vt in incerto alij alias adsignare & vincti eo quem dixi ordine primò ad Præfectum, dein ad carcerem vadunt, quo cum recipi præ multitudine haud possent, opperiri in impluuio iussi donec veterum reorum causę deciderentur; eo demum detruduntur, & mox

in eorum omnium vacua domicilia Præfectus inuadit, publicatur quidquid pecuniæ siue domesticæ supellectilis habebāt. Ferunt tot opes multis retro annis vnà compilatas fuisse nunquam. neque immerito; etenim præter acinaces & alia magnæ æstimationis, vasculum sustulit ex officina Chiæ, quingentorum aureorum pretio; quæ si quis totum vicum ex opificibus conflatum cogitet, haud exigua reputabit. Venêre & in hanc summam ædificia quorum erant aliquot sanè vendibilia. supellex ipsa in aceruum congesta continuò sub hasta venijt. Vnum è vinctis omnibus Medicum nomine Iacobum liberum ab ea calamitate Ministri cupiebant; huic cum Ingandoni filio reparatæ valetudinis causa, magnæ intercedebant amicitię: eoque nomine semel atq; iterum in itinere ad custodiam, quo fugiendi ansam arriperet, alio atq; alio dissimulanter missus est. Et Iacobus quanquam eius consilij non imprudens, re confecta reuertere ad agmen. Id cum secundò fecisset, indignantibus Ministris, & parum acutum appellantibus; tertiò præire

iubetur, ac ſocios ante cuſtodiam expe-
ctare. qui imperata faciens, vbi appropin-
quare cęteros vidit, obuium ſeſe, atque
obedientem Miniſtris exhibet. tum verò
impenſiùs admirari quotquot aderant. Cę-
terum cùm diſsimulare amplius haud poſ-
ſent cum reliquis in cuſtodiam dedere, v-
bi oblatam ſemel abeundi poteſtatẽ cum
honorifica gratiarum actione reiecit. At
Ingandonus publicatione peracta, iubet
ante ſe vicorum capita primum quemque
adeſſe. Dein ſeuerè admodum imperat vt
cõquiſitos vndique Chriſtianos, atque
ĩn albo deſcriptos extemplo ad ſe refe-
rant. Animaduerſurum ſe grauiter in eos,
quorum in vicis quiſquam impunè latuiſ-
ſet. Magna ſub hæc turbatio trepidatio-
que fieri cœpta in vrbe frequentiſsima:
nulla non explorata domus. Chriſtiani
alij propriis ædibus conductis, alij noctu,
& interdiu excedere, ſupellectilem & v-
tenſilia portare, fugitare quoquò verſum:
pars in vicinos pagos tota cum familia ſo-
lum vertere; nonnulli vxoribus, liberiſ-
que apud cognatos etiam infideles relictis
errare peregrinabundi. Nec defuêre qui
ad

ad Ethnicorũ misericordiam confugientes, eorum industria domibus in diuersa vrbis regione conductis, suppresso Christianorum nomine agitarent. Ex his non pauci sexies, septiésue metu coacti mutare domicilia, totum pæne peculium in baiulos assumpsere. Accèssit alia nec minor iacturæ temporis incõmoda occasio. Appetebat noui anni exordium quod Iaponij maximè festum habent, & frequentissimo mercatu, ac negotijs vltro citroque transigendis celebrare solent. Factũ inde vt Ethnici Creditores ne pecuniam periculo viderẽtur exponere, Christianos soluendo imparatos miris diuexarent modis: alios ad soluendum inaudita excusatione adigere, ab alijs supellectilem pretij iusto maioris rapere: contrà obæratus quisque egregiam retinendi nactus occasionem, soluere nihil. Præterea fidelium mercimonijs opificijsque interruptis nulla restabat lucri, aut comparandæ pecuniæ spes. Vnde magna miserorum multitudo pulsa domicilijs, atque omni humano destituta presidio, quò potissimũ confugeret nesciebat. Nec tamen in despe-

ratis rebus amissa constantia. Ferè nemo fuit qui fide periclitaretur. Quidam ob insitam probitatem vicinis mirificè gratus, inde abiturum se minitans nisi malis persuasionibus abstinerent: peruicit vt ex cõdicto conticescerent. à quibus etiam sacram Imaginem in perfidię simulationem clanculo subtractam, iniecto eodem recuperauit metu. Nobilis vidua cum se ad periculum obarmaret filiolam ad consanguineos clam submittere decreuerat: sed puella vti erat natu minima sorores remanere apud matrem conspicata, tam continenti & importuno eiulatu omnium compleuit aures vt matri necesse fuerit mitigandi animi gratia secum in vincula perducturam polliceri; diu sorores inter ea controuersia fuit, vtra potissimùm discrimini obijci deberet. Interea Nostri quam occultissimè agere, mutare passim latibula, atque interdum vrbe excedere, in agris commorari, inde auxilio maturè ventitare. Hæc ferme à Ianuario paschales vsque ferias transacta, quo tempore præteritam noua clades excepit, occasione, quam mox subijciam. Inter eos

qui

qui domicilijs emoti ſunt in primo periculo, vnus fuit bene nummatus homo, à quo Ethnici vicini pecuniam, multaque alia mutuabantur. Is vt debita exigeret ſæpe ac ſæpius in vicum veniebat: quare indignati Creditores vt & nomina quoquo modo delerent, & inuiſum Creditorem perpetuò exturbarent, rem huiuſmodi commento aggrediuntur: Schedulam ſine auctore in publica vici porta de nocte ſuffigunt, in qua totius plateæ minabantur incendium: poſtero die ſimulatè conuulſam deferunt ad Ingandoni Miniſtros. Hi Præfecto de auctore quærenti reſpondent haud dubiè Chriſtianos extorres fuiſſe, qui rabie agitati vici incendium machinarentur. Acerrimam igitur in eos quęſtionem decernit. & mox vicorum principes nullas non plateas & angiportus tota vrbe perſcrutati tredecim tantum comprehendunt, Miacenſiũ Chriſtianorum florem tales ſe nimirum in eo geſſere periculo. Hæc verò procella poſterior priore multo fuit atrocior: ſæuitũque & in ipſos barbaros fiſco adſignatis quas Chriſtianis locauerant ædibus; inde

vnus errorem excuſare, transferre culpam in Chriſtianum quendam nomine Thomam qui ſibi conductorem inculcaſſet. Invaditur extemplo in Thomæ domicilium; vxorem ex partu cubantẽ inueniunt, conceptamq́ue in abſentem maritum iracundiam exercent: publicatur exiguum peculium & quantulacunque ſupellex. Ipſam vtpote ægram impunè relinquunt, grauiter tamen obiurgatam quòd ſe Chriſtianã liberrimè proclamaret. Tenuis ea prędafuit: quippe ſubſtantiam pænè totam Thomas, vxorq́ue in Chriſtianos præſenti tempeſtate iactatos erogauerant. Ergo Ethnici cognito rem quoque ſuam in eo agi, non minus ipſi periculum fidelibus creauere, quàm Magiſtratus. in odium imprimis vocare Chriſtianum nomen; vana eos religione populum ſeducere; in vitæ, ac fortunarum diſcrimen vocare: quibus longè laté que diſſeminatis calumniis nemo prorſus erat, qui miſeris locare ædes vellet, aut in proximo habitare pateretur: quin & ipſi Chriſtiani quisquis proprias ædes habet, adeo ſe cautè gerere, vt neque ipſis maximè neceſſarijs familia-

ribuſq́ue

ribuſque domicilium indicent ſuum. Multas præterea patienter exorbere iniurias ne à barbaris deferantur: quod ſi accidat neque litem intendere neq; res ſuas poſſunt in iudicio repetere: quippe dato mox culpæ Chriſtiano nomine, deijciuntur in vincula. Adde quod ipſos etiam Ethnicos grauiter admodũ reprehendunt Iudices, quod Chriſtianorum domus conducant. Eodem tempore contigit aliquando è noſtris vni, mutandis latebris prope fatigato, vt intra eoſdem parietes quanquam diuerſo in cubiculo habitaret cum Bonzio, rei prorſus ignaro. Huius domunculæ hoſpitem aduerſarius quod in lite cauſam amiſiſſet indignatus, atque ex ipſo oris habitu hominem (id quod erat) Chriſtianum eſſe ratus apud Præfectum accuſauit; cogitur extemplo miſer vacuum relinquere domicilium, foretque grauius detrimentum niſi fortè id temporis abfuiſſet Noſter excipiendæ confeſsionis gratia. Dum hæc geruntur Cubus ipſe Miacum venit poſtridiè nonas Iulij. Eius aduentu ſperabamus fore, vt occupati Magiſtratus aliquam reſpirandi poteſta-

tem facerent Christianis, secus tamen res habuit: paucis quippe pòst diebus Tasioie Ioannes postea martyr cum vxore, liberisque comprehendi iussus est à Præfecto. Causam fuisse tradunt, quod Ethnicum famulum Ioannes ob maligne tractatam pecuniam iustè punierit, isque statim herum de Christiano nomine detulerit. Insiliunt itaque nec opinantis domũ; cuius sit religionis quærunt: intrepidè se Christianum confessus abripitur iniectis vinculis. pone sequebantur vxor, ac paruuli filij capita sex aut septem eodemque ordine, & agmine sistuntur Præfecto; dein ad cæteros in carcerem deducti (nonnullis additis qui à proximo anno habebantur in custodia) compleuere tres & sexaginta; è quibus tres tantum martyrij palmam consecuti non sunt. In his Michaël fuit nuper memorati Ioannis filius natu maior, qui cùm domo abesset id temporis quo parentes, fratresque adducebantur in vincula, in totius album familiæ minimè relatus est; eaque de causa quanquam postmodum datus in custodiam fuerit, facile adolescentem Mini-

ſtri è familiarium numero ſubtrahere, ac liberum demittere potuerunt: idque ab ijs factum dicitur, quod pati nullo modo poſſent, vt Ioannis vniuerſa familia ſimul ad interitum, nulla poſteritatis exceptione rueret. Indemnitatem filij Ioannes animo tulit iniquiſsimo. Cęterum Michaël, quanquam pro fide vitam ponere non licuit, fidei per æqua, per iniqua ſeruatæ decus egregium tulit. Secus alij duo, quorum alter Ethnicorum ſuaſu vitam, ſi deficeret, pollicentium, cùm terga Chriſto dediſſet, acri febre correptus, atque etiam de mentis poteſtate motus obijt ſine pænitentia. nec deſunt qui ſuaſores ipſos phrenetico mortem acceleraſſe opinentur. Demortui corpus minutiſſimis ictibus interciſum repertum (ſiue id diuinitus ſiue ex carceris pædore, ac ſordibus, vt multi arbitrantur, acciderit) magnum reliquis terrorem ac perfidiæ metum iniecit, præſertim vxori, filiæque quas in feminarum cuſtodia reliquit martyrio Dei benignitate deſtinatas. Altera recèns initiata cum innocentem filium in diro carcere vita defunctum præmi-

præmisisset ad Superos: Socijs ad martyrium properantibus remansit in custodia. Factum id à barbaris feminæ consanguineis suspicamur, qui Præfecti Ministros turpi largitione subornarunt.

Christiani octo in Miacensi carcere obeunt.

OMnes in vniuersum Iaponicæ custodiæ adeo sunt incommodæ, atque horribiles, vt cum Europæis etiam ergastulis comparari iure nullo possint; ferarum caueas haud absurdè appellaueris. Certè Miacensis tam arcta atque æstuosa erat, vt hominum halitus ipse cum sublime tenderet, refrigeratus, atque in tenues aquę guttas resolutus deflueret: misericordia, atque humanitas erga vinctos etiam ægrotantes pænè nulla. inde nimirum fame, siti, sole, frigore, aliisque incommodis lento sanè martyrio enecti occubuere octo. Horum primi duo Michaël ac Petrus Miacensis, biennes in tenerrimo ætatis flore ad superos maturè rapti. parentes ille præuertit decima septima

ptima Kalendas Maij: hic minimè secuturos ponè reliquit 3. Idus Augusti. Reliqui sex natu grandiores fuere Chiusayemon Matthias, Fioso Franciscus, Iosobioie Ioachimus, Iehiemon Iacobus, Guiuichi Andreas, Chenzai Ioannes.

Matthiæ patria fuit in regno Figen: tantaque primo in generali periculo constantia, vt domi suæ catenis oneratus à vicinis, quo à Christo deficeret, nihil animos desponderit: tandem Ianuario appetente bonis euersum, proditumque apparitoribus in custodiam dedere. Ibi iam moribundus euocatæ ad se de feminarum custodia vxori Messiæ, trimæque filiolæ nihil testamento reliquit præter commendatam in fide perseuerantiam. obijt postridie Id. Iul. 1619.

Franciscus è prouincia Chongocu annum amplius in carcere commoratus est. Is cùm Linum postea martyrem vinculis onustum perduci cerneret, quod Ioannis à S. Martha Franciscani martyris corporus exanime veneratus esset, simulque ea de causa malè habitum Ethnicum (quip-

(quippe qui Lino homini Christiano domum locasset) ad Ministros intrepidè accedens. Quo vos, inquit, iure cuiquam ædium suarum locationem crimini vertitis? nihil verò ad lictores pertinet ab alio quærere, Christianus ne, an infidelis sit. Ea Franciscum aperte prodidit audacia, tamquam generosos spiritus nullibi, quam in Christiano pectore posse versari. Idipsum mox rogatus haud quaquam inficiari. expediuntur interea catenæ: quod vbi Franciscus vidit, vltrò ipse manus post terga composuit: eo deinde habitu colligatus in custodiam abductus est. obijt prid. Non. Aug. an. 1619.

Ioachimus oriundus ab Tambe regione, atque ex eorum numero qui Miacensem Dei vicum habitabant, licet aliquamdiu in carcere titubare, ac tepescere videretur, antequam animam ageret Custodibus aperte dixit in fide se atque in officio mori, paratum pro Christo aduersa omnia fortiter exantlare; eò videlicet matre, vxore filioque suadentibus adductum perhibent, vt maiori cum suo suorumque

rumque ſolatio diſcederet. Deceſsit poſtridie Id. Aug. an. 1619.

Iacobus è Gongocu antiqua probitate, ac pietate vir, contra Imperatoris edicta, & propinquorum ſuaſiones inuicto ſemper animo ſtetit. pulſus domicilio reſtitutusque, atque iterum vagari coactus incerta ſede, tandem in ſecunda inquiſitione datus in cuſtodiam inquietam vitam cum tranquilliſsima morte commutauit 14. Kal. Octobr. an. 1619.

Andreas cæcus natus in regione Onari, Præfectus ſodalitio Annuntiationis, quod in tutela eſt S. Franciſci Xauerij, ſolenne ijs in cætum per ſingulas hebdomadas coëuntibus, agere de rebus ęternis, & quæ ad tempeſtatem ſapienter declinandam ſummopere videantur conferre. Andream igitur perinde quaſi facinoroſum hominem nullis non artibus deprehendere moliebantur apparitores; nec verò facile poterant, locum mira fidelium occultante diligentia; tandem quod in fide perſtaret grauiter obiurgatus à proximis Ethnicis, & cum vetula matre pulſus domicilio mutatis ſubinde

de latebris, ne pluribus Christianis incommodaret vltrò ipse quærentibus Ministris obuium sese ferre constituit; proinde quemadmodum inter ipsum, & hospites conuenerat, in publicum pontem deductus, eò quoque dirigendos ab indice Ministros operitur. Simulata demum inquisitione atque ambage repertus rogatusq; vbi nam ad id temporis delituisset: omnes cauta callidaque responsione delusit adeo, vt in caput suum totam periculi molem deflecteret: ad extremum tentata nec expugnata fide in vincula coniectus est: ibi donec vixit Euangelici concionatoris partes egregiè suscepit. eratq; in eo genere vel ipsis acceptissimus Ethnicis: quãuis non deessent ex vltima fece qui oculis captum, mille modis ludos, ac iocos noctu & interdiu tuto facerent; defraudare alij cibum, alij loco detrudere atque eo compellere vbi præ sordibus, ac pædore quiescere nullo modo posset. inde alijs atq; alijs increbrescentibus morbis homo suapte natura robustus cum semel atque iterum nulla humana ope conualuisset, ad extremum valetudine, ac viribus affectis
occu-

occubuit 12. Kal. Octob. Moribũdum vxor ac filii cûm inuiſerent, hos quidem minus familiariter accepit velut extraneos, ac ſtatim dimiſit: illam fidelibus inſtructam conſiliis ad perſeuerãtiam paucis hortatus eſt, addiditque ne filiorum orbitate ac ſolitudine afficeretur; quorum pręſidio Deus ipſe haud dubiè proſpecturus eſſet.

Ioannes ſolum natale habuit in ſatrapia Vacaſa, fuitque vnus ex antiquiſſimis in ea regione Chriſtianis. Medicum agebat ea ſenectute vir, vt planè ſurdus nulla alia re quàm veræ ſalutis ſtudio fundendiſque ad Deum precibus occuparet animum, pares pietate filius, ac filiæ duæ, quarum altera pro fide exulat, alia maiorem facultatũ partem amiſit. Filius in Toni clientela famuli ac militis egregio functus officio, parum aliquando abfuit, quin cenſu ſpoliatus Martyrii quoque palmam arriperet. Cæterùm Ioannes in priore Miacenſi procella domo imprimis eiectus, dein in poſteriore diligenter conquiſitus, comprehenſuſque benignè tractatur ab Ingandono; id nimirum ſatagente famulo qui Ioannis neptem habebat in matrimonium; ſuadere

dere Miniſtri, vt fidem abiuraret. at ille: Dedecet, inquit, me hoc ætatis ab ea ſalutis via diſcedere, quam primis ab incunabulis arripui tam ſtudioſe. Cunctis ea reſponſio ſapiens admodum probabiliſque viſa eſt. in carcerem dimittitur eueſtigio, lictoribus enixè commendatus, vt ne quis pro ætate, ac dignitate clementer acceptũ veſtitu exueret Frequenter deinde reuiſebant, eaque via nonnihil ad cæteros Chriſtiani miſſitabant: & Ioannes è cælo ſibi miſſum dicere, quod in ea cuſtodia detineretur, vbi ad victum neceſſaria Magiſtratus ſuppeditabat, neq; enim præ ſenectute vltra poſſe conſueto Medici officio huc illucque diſcurſando vitam alere. Magnum ſibi eatenus exhibuiſſe negotiũ domicilii curam, quod per temporum iniquitatem rimoſum ſemper atque omnino inſtabile teneret: nunc ea ſolicitudine vacuum, nihil ventos, nihil pluuiam, nihil exactores aut locatores curare. proinde ſecum præclarè actum eſſe, nec ſupereſſe quid in eo genere optaret. Iam verò carceris incommoda, ius & æquum poſtulare, vt pro Chriſto Domino libentiſſimè ferret. Hæc atq;

alia

alia barbari ſublatis cachinnis exſibilare, irridere; clarus tamen pietate, ac patientia ſenex Martyrii coronam indeptus eſt pridie Kal. Octob. Horum corpora cùm in Chriſtianorum manus veniſſent certo in loco pro tempore tumulata ſunt, ipſi Noſtrorum opera Chriſto adiuncti.

Miaci Chriſtiani quinquagintaduo viui comburuntur.

RELiquos deinde proſequar ad Martyrium in quo Cubus ipſe iudicis egiſſe perſonam viſus eſt. Hiendum remeabat, ac forte per eos dies in oppido Fuxini duas circiter ab Miaco leucas morabatur. ibi cùm datos in cuſtodiam Chriſtianos audiret quod in fide per ſui contemptum edicti perſeuerarent; inſano quodam furore correptus (vt qui metui potius, quam coli, aut amari ſtudeat) viuos ſentienteſque torreri ad vnum omnes ſine ſexus aut ætatis diſcrimine imperauit. Ea re audita Ingandonus quanquam ſuopte ingenio clemens, & qui vinctis omnibus abeundi poteſtatem facere pararet: extem-

plo nonnullos iam è custodia dimissos eodem reuocauit. Huius nouitatis consilium facile interpretati Christiani, statim se ad extremum periculum inuicem adhortantes obfirmare: & quidem eo iam tempore rogi exstruebantur, expediebātur q; cruces viginti septem ad quas alligandi erāt, adeò concinnè atque affabrè factæ, vt sacratis in locis venerationis causa viderentur erigēdę. Notarunt pænè vniuersi nouum supplicii genus ac mysterium, nemo quippe erat, qui tot simul homines, eosque tantum Christianos, crucibus insuper in medio igne alligatos se videre meminisset: ad palum annexos torreri vetus institutum est. Vnde mutatam supplicii consuetudinem vel ipsi Ethnici miraculo, ac bonis tribuebant ominibus. alij has illas esse cruces dicere quæ proximis annis inter huius tempestatis initia, tam variè multis stipitibus præter arborum naturam diuinitus inclusę apparuerunt. Cuiusmodi nouam aliam hoc in Macaënsi portu casu repertam pridie Kal. Iun. anno 1620. cùm hæc litteris mandare cœpissem vidimus, quodā sacro perfusi horrore, ac futuri metu. Vtcumq; præ-

ſagia erunt, certè defixis in terram crucibus tanta vndique lignorum portata eſt copia, vt congeriem vniuerſam quadragenis aureis ſtetiſſe compertum ſit. ex compoſito id feciſſe Præfectus dicitur, vt breui tota tragœdia perageretur, quod præ inſitâ clementiâ tam acerba, lentaque ſupplicia non patiatur infligi. Addunt ea præcipuè Miniſtris dediſſe mandata, vt rem ſumma celeritate cōficerent. Interea repetitis inuicem precationibus vtraque virorum, ac feminarū cuſtodia lōgè lateq; perſonabat. Et Chriſtiani nonnulli cuſtodum beneuolentia freti ad ſalutandos Chriſti Martyres biduo ante ſupplicii diem intrepidè acceſſerunt; emicabat ex oculis omnium incredibilis animorum alacritas & vitæ cōtemptor ſpiritus; nullus ibi ſermo niſi de expectato exitu, de vera ſalute, deque cæleſti, ac ſempiterna felicitate; amicis, neceſſariiſq; alii precarios globulos, cæleſtis agni cereos, effigies alii, varii varia cùm gratitudinis tum amicitiæ monimenta diſtribuere: nouas alii veſtes ac ſolito elegantiores ad feſtum Martyrii diem celebrandum cōquirere. Multi velut ſuæ ſalutis ſecuri, alie-

næ conſulere, monere Chriſtianum quemque ne in deſtinato ſupplicii die pietatis modum excederent, & Chriſtianam Rempublicam diſcrimini obiicerent. Poſtero die ad impluuium productis è cuſtodia atque in ordinem diſpartitis manus colligantur, eum in modum: mox ad publicam egreſſos plateam parata iubent plauſtra nouem conſcendere: in primo & vltimo viri adoleſcẽteſque, in mediis matronæ cũ lactentibus filiis vehebantur. ex iis candidati permulti, quibus quibus licuit in triũphi ſpeciem cùm aſcenderent contenta voce prædicabant, ad vnum omnes quotquot in ea pompa viſerentur Chriſtianos eſſe. Concurriſſe ad ſpectaculum ferunt omnis ætatis atque ordinis & vtriuſque ſexus multitudinem inauditam atque innumerabilem. Miaci quippe tum temporis aderant Dynaſtæ vniuerſi cum exercitibus clienteliſque ad ſalutandum Imperatorem de more coacti. pompam ritè præibat feralis præco ſublato clamore vicatim illud ingeminans: Xongun totius Iaponis Imperator ac Dominus reos hos cremari viuos iubet, quippe Chriſtianos.

præ-

præconem ipſi quoque Martyres enixè iuuabant, cũ modo Chriſti fidem veræ ſalutis iter affirmarent, modo conſuetas precandi formulas repeterent, & lætis oculis ac ſerena fronte contenderent ad ſupplicium atrocitatis, atque ignominiæ plenũ. ea re viſa permulti ex ſpectatoribus lachrymis temperare non potuerunt. alii præcipuè Ethnici vultuum atque animorũ tum conſtantiam, tum alacritatem, ſine fine mirari. id verò cunctis ad ſatietatem licuit vtpote in longiſſima via. cuius in medio cùm ad feminarum vehicula intrepidè acceſſiſſet Chriſtiana quædam, & familiaris lachrymis obortis extremum ſalutaſſet, aduolantibus confeſtim lictoribus ſine mora comprehenditur, ac fidem interrogata identidem profitetur, obſtupeſcere barbari ſimiles attonitis. Cæterũ ab miniſtris ſtatim libera dimiſſa, ne cæterorum Chriſtianorum viderentur audaciam prouocare, ac noui ſubinde tumultus orirentur, eo quem dixi ordine triumphalis pompa per Miacenſium ora vſque ad ſupplicii locum traducta eſt. fuit is ad extremam vrbis partem, in frequentiſſima via quæ Fuximini

imini ducit, non procul ab torrente Camungaua, qui à Septentrione oriens Miacum præterfluit, è regione Deibut, quod eſt maximi apud Iaponios delubri pariter ac Fotoquis nomẽ. Ibi cùm expeditas cruces rogoſque proſpicerent, nemo vel deſpondit animos, vel oculos demiſit; nouo quodam concepto ardore ridentis etiam ſpeciem præ ſe quiſque ferebat. mox exſcendere iuſſi, è vehiculis admirabili alacritate deſiliunt, ac deinde bini ferme (ſexus habita ratione ac diſcrimine) ad cruces ſingulas in media quamque ſtrue collocatas alligantur: primam vultibus verſis occupauere ſeniores duo Ioachimus & Gabriel, viros cęteros eodem habitu atque ordine connectunt: Feminæ viſebantur in medio, ac præcipuè matres, prout quæque liberis aucta erat, eiſdem ſtipatæ. Adhærebat Magdalenæ Regina filiola biennis, Mariæ Monica quadrima, Marthæ Benedictus annos natus duos, Mariæ alteri Petrus annorũ quatuor; Meſſiæ Lucia triennis, Ruffinæ Martha octo annorum capta oculis, vna Thecla è filiis quinque, tres ſimul in ſua cruce ſocios habebat, Luciam quadri-

mulam

muſam ad vlnas ſublatam, à dextra, læuaque Thomam duodecim, & Franciſcum annorum nouem. Reliquos duos proxima tenebat crux. Hunc in morem poſtquam cõnexi fuere, ac collocati omnes, dum igni concipiendo adaptantur ligna, temporis mora interceſſit haud exigua. quo ſpatio Chriſtiani aliquot ſtrenuè auſi ſitientes martyres frigida recreare. ipſi recitandis precationibus ad mortem confirmare ſeſe: fuiſſe perhibent tãtam lignorum copiam, vt ipſa etiam crucium ſatis magna interualla occupauerit, & ingentem vnã ſtruem ſeu potius ſyluam repræſentaret. Ergo ſub veſperam inijciunt holocauſto ignem eoque materiam corripiente felices Chriſti milites intenta voce ſablatiſque nõnulli oculis inuocare ſacroſanctum IESV nomẽ, & ſolennes precationes iterare. Circumfuſæ multitudinis admurmuratio, Miniſtrorum & Carnificum inconditi clamores, cripitantiumque flammarum ſtrepitus ita omnium aures complere, vt nihil præterea poſſet exaudiri. Viſebantur interea matres paruulorum capita manu demulcentes quo lachrymas, ac vagitum contincrent:

nerent: inerat natu grandiorum mira in oculis & fronte lætitia, ac neque mortem, neque cruciatus ſentire videbantur. Animaduerſa vel ab Ethnicis fuit Martyrum immobilis atque incomparabilis patientia, flammas ipſas nulla corporis declinatione fugientium, nulla membrorũ contractione ſignificantium dolorem. Fuere indicio funes immobiles è crucium brachiis demiſſi, quibus erant omnium corpora leuiter admodũ ac remiſſè colligata: laudatus prætereà multorum habitus etiam poſt mortẽ ſublatis in cælis oculos habẽtium. Certè vniuerſum Martyrium tanta celeritate peractum eſt, vt qui interfuere Chriſtiani excuſſum ſibi eius ſupplicii metum vulgò dicerent, viſamq; ignis atrocitatem, quàm ferri toleratu faciliorem. Quin & fumum inuſitato albeſcentem colore atque vnam coactum in nubem grata intuentium oculis dediſſe ſpectacula. Alio deinceps igne Chriſtianorum inflammari præcordia, nemo non fidem affirmare, ſanguinem profundere, ac ſeſe pro Chriſto deuouere geſtiebat. Quibus exactis vbi Præfecti, Miniſtri, carnificeſque, & qui rem proximè ſpectaue-

ctauerant; acceſſere ad inſpiciẽdum remotiſſimus quiſque: aliiſq; deinde ſuper alios appropinquantibus ex vtraque torrentis ripa, parum abfuit quin præ turba eliſi expirarent permulti: diſcedunt ad extremum vniuerſi, conſtantiam extollentes alii, alii prout quiſque de re ſentiebat vituperantes. Diuque nihil aliud in compitis, circulis, itineribus, ac nauigiis agitari. Ethnicorum communis illa fuit ſententia; Chriſtianos duræ ceruicis genus, ac refractariũ in ſua contumacia vitam ſine cauſa profundere; cætera ſpiritus illos & incomparabilem ad extrema quæque perferenda conſtantiam ſatis ſe neque mirari, neque laudare poſſe; & vero tum Martyrii fama, tum Chriſtianæ religionis exiſtimatio, Dynaſtis in ſuam quiſq; prouinciam redeuntibus, totũ breui peruaſit imperiũ: Tranſacta res eſt pridie Non. Oct. Eorum corpora ſeptem ipſos dies nocteſq; ab Ethnicis cuſtodita, tandem non ſine metu, ac periculo eripuere Chriſtiani, & clanculum funerarunt. Illo ipſo Martyrii die ſtellam crinitam apparuiſſe ferunt barbari Chriſtiani; viſum ſequuta nocte cælum admirabili

bili quodam ſplendore circumfuſum. Cæterum de his nondum ſatis conſtat.

Eorundem Martyrum nomina, nonnullorum virtutes.

ET iam ad eorum nomina; Miacenſes fuere quatuordecim. Franciſci duo quorum alter filius Chiuſachu Ioannes, Magdalena vxor, Regina filia, Chiuiro mancius, Matangaro Ludouicus, & Faximoto Taſioye Ioãnes cum Thecla vxore; ac liberis quinque: hi ſunt Catharina tredecim annos nata, Thomas duodecim, Frãciſcus octo, Petrus ſex, Lucia tres, adde ſextum quem adhuc mater in vtero gerebat. E Bungo quatuor, Chian Thomas, Chongio Maria, Sacurei Ioãnes, & Nurus Vrſula: è prouincia Fochu Ixegami Thomas; è prouincia Xongocu Rifioie Linus, eiuſque vxor Maria Zunocuni ſatrapia. Quinque contulit Yamaxiri Regio, Coſmam, Xinxito Thomam, Mariamque vxorem, Mariam alteram cum Monica filiola. Yamati toparchia vnum Domi Antoniũ; Mini verò duos, Ogauam Ioachimum & Moni-

Monicā. In Ouari regione patriā habuere octo: Gabriel, Magdalena: Toiemon Thomas, vxor Lucia, Rufina & filia Martha; Chiuzugi Leo, Martha vxor, ab Cauachi ſatrapia oriundi Martha & biennis filiolus Benedictus. è Tambe regione Marię duæ, cum Petro alterius filio, Curoſaburo Emmanuel, Yoiemon Thomas, huius mater Anna: fæminas quatuor tulit Omi Satrapia, Alonicam, Agatham, Meſſiā Luciamq; eius filiolam trimam. Duos Achi regio Soſochu, Hieronymum & vxorem Luciā. Vltimò adde Izuſu Iacobum, cuius patria etiamnum ignoratur. Omnes, quatuor exceptis, Societatis operâ baptizati ſunt.

Sed in toto agmine facem veluti præferre videbantur Miacenſes illi coniuges duo Tafioie Ioannes ac Thecla, de quorū laudibus obiter dicendum puto. Ioannis patrem inter Miacenſes Chriſtianos pænè antiquiſſimum atque in omni pietatis genere præcellentem ſacris initiaſſe fertur P. Gaſpar Vibella noſtri Ordinis vir, nec non è primis qui Euangelium in Iapone diuulgarunt. Nihil Ioannes à tam generoſa ſtirpe degenerauit, Claro ſanguine virtutibuſque

tibuſque homine libero dignis præditus, erat parenti cariſſimus. A prima ætate noſtras litteras didicit, vt Europæos libros legeret. Inde cum litteris hauſta virtus, & modeſtia, quas inter huiuſce tempeſtatis turbines & conſtantiſſimè retinuit & fortiter admodum patefecit. pòſt ab inimicis perfidiæ falſo delatus, eam labem adeo vehementer doluit vt in morbum periculoſum inciderit. Quo tempore vti phreneticus noctu & interdiu nihil agitare, quam Tartari cruciatus æternos atque id genus alia, dubios Chriſtianos ſi quis pro amicitia inuiſeret grauiter obiurgando, in ſalutis deſperationem adducere. Dictis accedebat eo vſq; metuenda facies vt hominis colloquium vel familiares ipſi & coniunctiſſimus quiſque perhórreſceret. Deniq; deploratus à Medicis Deo volente conualuit atque intermiſſa pietatis officia, cõſueta perſecutus eſt alacritate. Noſtrum Sacerdotem ad ſacrificia domi ſuæ facienda, Chriſtianos ad Sacramenta conuocare. idque adeo conſtanter & palam vt in turbulentiſſimis tempor bus nihil in eo genere timuerit, aut prætermiſerit; vnde domicilio

micilio expulſus in conducta domo idem præſtabat intrepidè. Dein à famulo, quod pecuniam malignè tractauerat aſperè punito, inſimulatus (vti ſuprà memorabam) cum inalbeſcente luce precibus inſiſteret, nec opinato inuaditur à Miniſtris: quorum vnum acinace ac pugione donauit, excuſata inſuper meliorum penuria: dein cum vxore Thecla ac liberis ſiſtitur ante Magiſtratus. Ij erant in Præfecti locũ ſubrogati, qui tum temporis Fuximini apud Imperatorem agebat. Hoc in Tribunali Ioannes varias fidei tentationes inuicto ſuperauit animo. Suadere barbari vt quandoquidem veteranum militem ac rude donatũ egerat, fueratq; inter primarios Nobunangæ nepotis clientes: ne in partũ decora atq; inſitę nobilitatis indigna degeneraret, ac deſineret, etiam atq; etiã rogare, vt Cubo morem gerere, odioſamq; religionem penitus abdicare vellet; mirari quo cõſilio vir prudens, rerumq; vſu, ac doctrina ſatis inſtructus contra Imperatoris edicta, & voluntatem niteretur. Ad ea Ioannes hanc vnam veramq; ac germanam eſſe prudẽtiam dicere, religioni adhærere, inceptum ſalutis

iter

iter inſiſtere, Deum potius demereri, quàm homines, nullo deniq́ue popularis auræ arbitrio circumagi. Tum verò Iudices enixè contendere vt filios ſaltem ſuperſtites vellet ac ſuæ cuiuſq́ue fidei commiſſos relinqueret: operam daturos ne à paterna religione, ac pietate deficerent: quin illud ſibi curæ fore vt commodis omnibus, atq; honoribus ornati ad virilem ætatem dignitatemq́ue peruenirent. Nihil ea dicta Ioannem flectere; filios ſe ſuos ab ineunte ætate Chriſtianos feciſſe reſpondet, atque in cœlum præ ſe velle deducere. Qua reſpõſione attoniti Magiſtratus Chriſtianam Philoſophiam magis ac magis ſuſpicere. perrarò enim Iaponij fideles, nedum Ethnici titillante amore poſteritatis, quid in hac re virtutis, ac veræ pietatis ſit, ſatis animo ac mente complectuntur. Sub hæc qui aderant comploſis manibus dolorem ſignificare ac miſeratione commoueri, quòd virum adeò ſapientem cernerent pulcherrima, atque ingenua ſobole ad interitum ruere voluntarium: laudare alij hominis conſtantiam, fateriq́ue æternam ſalutem haud molliore comparari via. Rarò ſimi-

lem

lem inter coniuges ac liberos fuiſſe concordiam. Ea videlicet Magiſtratuum beneuolẽtia ſeruatus impunè fuit Michael natu maior è filiis, quod ſuprà memoraui. Ioãnes verò in cuſtodia benignè ſemper habitus à Præfecti famulis, aliorum neceſſitatibus opem plerumque ferebat. Andreæ cæco & Chenzei Ioanni (qui in carcere obiere) grauiter ægrotantibus aderat, miniſtrabatque indefeſſus: vbi mortis nuncios accepit, valere iuſſo Annũtiationis Sodalitio cuius tũ erat Præfectus, virgineos globulos miſit in memoriȩ ſignum, veniamq́; poſtulauit quod in eorum ſpiritualem ædificationem parum, aut nihil vt aiebat ſuo contuliſſet exemplo. Cùm ad ſupplicium ferretur in vehiculo totius oris corporiſq́; modeſtia, omnium in ſe oculos animoſque conuertit, addiditq́; ad amicum in colloquio, magna ſe ſpiritus ſuauitate delibutũ ad mortem contendere, quam nullo affectus dolore, aut deſiderio vehementer expeteret.

Quæ hactenus de Ioanne dixi, ea illi cũ Thecla vxore ferè communia ſunt. Miaci claro loco nata è primariis Chriſtianis fi-

dem cũ lacte nutricis exſuxit, adeo vt barbararum ſuperſtitionum nihil omnino ſaperet, quo tempore comprehẽſa primùm eſt, cum rogaretur, an Chriſtiana eſſet, incredibili alacritate aſſenſit, ea re bonis ereptis in carcerem detruditur cum familia. inde poſt ob interceſſorum autoritatem quod iam parturire videretur, cum liberis è cuſtodia dimittitur, ac tandem ante partum reuocata (parato ex tempore tam ſibi quã viro, ac liberis hilariore cultu) perſalutatis omnibus, quorum interuentu cuſtodiam euaſerat, eodem maiori cum alacritate reuertit. illo ipſo die vnus è filiolis cùm fortè catenas & vincula ſomniaſſet; matri experrectus, ac metu perculſus aperuit, quæ pueri pauorem graui reprehenſione diſcuſſit. paucis pòſt diebus pronuntiata in omnes capitali ſentẽtia, promptam ſe atq; ad extrema omnia paratam oſtendit; nec minori pietate Catharina filia, matris æmulata conſtantiam, iudici ſe gratias & agere & habere reſpondit. Thecla verò cùm in plauſtro ad martyrium tot filiorum agmine ſtipata veheretur, ipſo conſtantiæ lætitiæq; miraculo barbaros obſtupefecit.

in

in exſcenſu mutato elegantiori veſtitu, eá dexteritate, ac modeſtia cincticulum ſuperinduit, vt intuentes incredibili admiratione defigeret; fauſta mox admurmeratio ſequuta, comparare eam alii perſonæ in ſcenam prodeunti, alii, ad feſtum diem, celebrandùm properanti feminæ. Dein cum iam ſubiecto crematetur igne, adeò ſibi conſtitit, vt omnibus adeſſe filiorũ periculis, ſuo velut illæſa, videretur. Erãt in proximo rogo Petrus & Catharina, quæ graſſantibus latè flammis iam ſemiuſta atq; ad matrem conuerſa, Nihil prorſus, inquit, iam video. tum Thecla ſtrenuè; Id verò ne cures ait, IESVM & MARIAM inuoca, breui ad paradiſum perueniemus. Neq; interea cæterorum quos apud ſe habebat obliuiſci. animare dictis omnes, ſacroſancta nomina in memoriam offundere, nemini deeſſe, omnia matris, nutricis, ac Magiſtræ exequi officia. parebant alacres pueri, puellæq; ac IESVS MARIA ingeminabat cum cæteris etiam ipſa natu minima Lucia, quam ſuis mater vlnis complexa eo vſque preſſit ad pectus vt iam omnino combuſtæ atque exanimes ſibi inuicem cohæreſcerent. Et

verò Thecla (si Michael coactè superstes, & quem ferebat vterum in hanc summam veniant) pietate, ac fortitudine haud quaquam, impar inter veteres illas heroinas symphorosam felicitatemque meritò atq; optimo iure celebrari potest.

Neque cæterorum de quibus liquet egregiè facta, dictáve silentio prętereunda. Chisucque Leo, spectata virtute vir, quo tempore Nostri Iapone pulsi sunt, fidem adeo constanter retinuit, vt extructi ad ostium rogi, crucisque metum inferentibus vicinis, nihil omnino titubauerit. Vnde mox domicilio eiectus, illud ex animo dolebat quod cum aliis longissimè non exularet: paulò antequam duceretur in vincula, repentè è somno euigilans vxori Magdalenæ prædixit, nō ita pòst affuturos præfecti ministros & lictores. proinde præpararet sese; dein precibus paululum immoratus circumuenitur ab iisdem, relictaque in præsẽtia vxore abducitur in custodiam. Sed postea cum tentata fide Magdalena quanquam vetula sibi egregiè cōstaret, in carcerem quoque ac martyrium abrepta est. Yoyemon Thomas Patrem aliquandiu

in cuſtodia titubantem, ac poſtea moribundum in fide confirmauit.

Rifioy Linus cùm extructos vidiſſet rogos non ſine deſpicatu ſubridens, Siccinè, ait, tam leuia tormenta noſtro ſunt excogitata martyrio? hoc ſanè lethi genus perfacile perque iucundum eſt: dein fronte admodum ſerena, atque hilari vultu percũctatus eſt à miniſtris, quam ſibi deſtinaſſent crucem. Præſtanti ſemper indole ac pietate Linus fuit, apud nos inſtitutus, in Societatem admitti vehemẽter exoptauit. ab eo tempore quo vti ſuprà dixi, frater Ioannes à S. Martha Franciſcanæ familiæ martyr enectus eſt, in vinculis tenebatur: quod exanime corpus, nulla præſidii, aut miniſtrorum habita ratione reuerenter admodum complexus eſſet, ibi multorum æternam, temporariamque ſalutem ſedulò iuuit. Suapte natura timidus, tantam imminente ſupplicio conſtantiam & fortitudinem diuinitus hauſit, vt omnium admiratione, ac ſermone celebraretur. Ioachimus fratrem qui magna apud Ingandonũ gratia pollebat præmonuit, ne ſibi vincula, vel ſupplicium deprecaretur. Se nequa-

quam etiam facta poteſtate abiturum è cuſtodia. Gabriel eiuſdem patibuli ſocius cũ Ethnico Dynaſtæ famularetur, ad fidem conuerſus annuos reditus abdicauit, acceptaq; à domino venia exiit è populo barbaro, ac Miacum tenuit, vbi extrema, ſed voluntaria paupertate vitam tranſigebat.

Meſſiæ conſtantia non mediocriter enituit. quo enim tempore comprehenſa eſt, hortantibus Miniſtris vt fidem abiuraret, quo Luciam filiolam licentiùs educaret, inſtitueretq; : alacriore quàm pro ſexu reſpondit animo; Deo ſe iam filiam immolaſſe: nihil eſſe quod moreretur in carcere; eò proinde detruderent, quò à primo excitatæ tempeſtatis initio deiici cupiebat.

Rufinæ pietas & deuotio ſingularis fuit. Longo interuallo poſitis in vehiculo genibus iit, mirum in modum precibus, ac pia meditatione defixa, id quod in omni anteactæ vitę curriculo magno cum aliorum tenuit exemplo. Ad filiam Mattham velut hæreditario iure tranſmiſſa matris pietas. aliorſum abducta ne cum cæteris in vincula conijceretur, eouſq; portantem vagiendo fatigauit, quoad matri & cuſtodiæ

reddita

reddita est. Cibi penuriam, catenas, & necem deterrendi causâ puellæ minitabantur. Martha verò nihili facere, mori se cum matre, ac cæteris velle. Inde paulò pôst ad perfidiam vinctos incitanti Ingandoni famulo, hęc præcipuè puella respondit; id à se nulla ratione commissum iri: qui faceret, eum salutis æternæ facere iacturam. Diu ea paruulæ constantia inter Præfecti famulos non sine admiratione celebrata est. cum denique visum amisisset, audita cæterorum condemnatione, matrem perpetuò complexam tenebat, vt ne in custodia martyrii relinqueret exortem.

Agatha Doiucum in itinere conspicata euocauit ad colloquium, & breuiter excusata vacillatione quam præ se aliquamdiu tulerat in carcere, magno se in præsentia gaudio profusam addidit, quòd mortem adeo beatam gloriosamq; adiret; dictis fidem faciebat perspecta in oculis atq; ore lætitia.

Ferebatur in eodem vehiculo Monica Chũzi Michaelis pro fide exulantis vxor, quæ cũ Doiucũ socias alloquentem propè viam stare persentisceret, intrepidum:

hominem ſubirato vultu, & quaſi aliud a-
geret, auerſo, grauiter increpuit, tum arcē-
di periculi cauſa, tum præ generoſi animi
fiducia, ne currētes, quod aiūt incitare vi-
deretur. Fuit Monica è Mini ſatrapia, ſpe-
ctatæ fortitudinis mulier, ac veluti cætera-
rum dux; exulem maritū ſequi non potuit,
quod per eos dies ex morbo decumberet.
id verò poſtea impenſè querebatur ignara
quantam ſeſe Deus reſeruaret ad gloriam:
volebat explorare corporis atque animi
vires, vt cùm daretur occaſio, vincula, cru-
ciatus, & necem quamlibet atrociſſimam
patientiùs exantlaret. eo conſilio cùm can-
dens ferrum manu tractantem conſpexiſ-
ſet ſoror, cauſamq́; ſciſcitaretur; poſtulata
ſecreti fide, proludere ſe dixit ad marty-
rium expertam antè quid in fame, ac fri-
gore tolerando poſſet, nunc ad maiora gra-
dum facere; qui victoriam cogitaret, eum
ita obarmatum eſſe oportere; ſecus, peri-
culum declinare, ſatius videri. hoc tiroci-
nio Monica viam ſibi ad immortalitatem
muniit; in carcere ſermone atque exemplo
cæteras hortari: cum à Chriſtianis inuiſe-
retur, conſtantiæ miraculo eſſe; tandem in

ſupplicii loco ante quam è vehiculo deſi-
liret ſublato clamore fidem teſtata ſubie-
cit: Vniuerſos qui eo die necarẽtur, Chri-
ſtianos eſſe, atque hac vna de cauſa ſuppli-
cium luere. Cæterorum de quibus pecu-
liáre nihil ſcribitur pares fuiſſe credo con-
ſtantiam, & coronam.

In oppido Fuximi Xichiemon Ignatius viuus crematur.

ALiquanto poſt, eodem tamen die, ac lethi genere quo ſuprà memorati Martyres, quidam Xichiemon Ignatius Martyrii palmam adeptus eſt Fuximini; is quanquam iuuenis, choros in certi Fotoquis gratiam ducentibus Ethnicis, neque agere ipſe, neque agentes cuſtodire voluit, toto reclamante vico, ac dein colloquium, ignem, & aquam interdicente. Miaci tum degebat, eaque de cauſa ſolum vertere coactus, Fuximum migrauit; ibi proximo Ianuario comprehẽſus, ante oppidi magiſtratum ſiſtitur. quo veniam, vitam, fortunaſque pollicente, ſi fidem violaret, ac deſereret, Ignatio quondam Mar-

tyre dignam protulit ſententiam, Chriſtiani videlicet hominis haud eſſe, pedem vel referre, vel terga dare. Rogatus deinde, num alios ſui ſimiles noſſet præterea, quod vocabulo vſi eſſent ſceleris affines ſignificante, audacter reſpondit, nomen illud in Chriſtianos minimè conuenire: quippe qui non ſceleribus, ſed æternæ ſaluti operam nauarent. de his ſi quærerent, ſegniter ſe ac remiſſè Chriſtianum, veræ charitatis expertem, tum interdicti metu, tum longa deſuetudine ſeiunctum ab amicis nihil omnino certi habere. Tandem cum interrogata illudere videretur, in vincula deturbant: ibi de coniugis, ac liberorum ſolitudine per tentationem edoctus: nec titubare, nec dolere: in ſalutis cauſa coniunctiſſimum quemque omnes extraneos, atque ignotos putare. in carcere ob inſitam modeſtiam cæteris gratiſſimus, commodè ſemper, ac benignè habitus eſt. Ferias ſextas, ſabbataque ieiunio tranſigebat. Si quis inuiſeret, hilarem vultum oſtendere; monere ne ſe curarent nihil indigentem; ſed cautè ipſi agerent ne grauior in dies procella fieret. Deſertorem Chriſtianum,

ſtianum, qui in iiſdem vinculis noxius tenebatur Domino reconciliauit: iuuenem vxorem litteris ad perſeuerantiam, dein ſe mortuo ad ſecundas nuptias hortatus eſt; ea cautione vt ne infideli nuberet: communes verò liberos certis quos nominabat Chriſtianis hominibus alendos, educandoſque committeret: quibus peractis vbi Magiſtratus de Miacenſium Martyrio facti certiores, eductum è cuſtodia Ignatium continuò viuum cremari iubent: equo ad ſupplicium vectus eſt adeo repentè, ac celeriter, vt cominus proſequi non potuerint Chriſtiani, ſed in medio itinere cum fortè Doiucum offendiſſet, eo comitante ad patibulum deuenit: deerat ad rogum vtpote in re ſubitaria, neceſſaria lignorum copia. Quibus dum comportandis baiuli, Miniſtriq; diſtinentur, Deo ſeſe Ignatius intimè commendabat: & mira tranquillitate à barbaris precabatur, vt pacatè agerent, ne ſibi impedimento forent. Vbi ad palum alligatus eſt (quod vnum ab Miacenſibus diſcrimen habuit) atque accenſo inflammari cœpit igne, orationem Dominicam ad medium vſq; intenta vo-

ce recitauit, ac deinceps compressa, vtpote nares, faucesque præpediente fumo eodem tempore cum animam agentem cerneret ethnicus, perblandè suasit, vt Fotoques inuocaret. At ille adhuc sui compos aliò vultum indignabundus auertit. persequitur orationem dictoque Amen, vitæ simul atque orationis extremam periodum absoluit. efferre deinde hominis constantiam ipsi etiam è circumfusa multitudine barbari. quorum vnus Doiuco sententiam rogante, Ignatij fortitudinem laudibus in cœlum attollens; Quid plura, inquit, rogatum ego, an vellet à proposito resilire, modo perpetuo censu ab Imperatore donaretur, respondere audij, se ipsum etiam totius Iaponiæ imperium Christianæ religioni sine dubio posthabiturũ; Nihil adeo grande, ac beatum esse, cum quo vitam æternam iustè pacisci posset. Ignatii corpus, flammis omnia latè populantibus in terram collapsum est. inde pòst à Christianis sublatum, ac ritè conditum. Iuuenis triginta circiter natus annos patriam habuit in regione Omi.

Oxu,

Oxu, regio.

OXu regio iacet in extremis Imperii finibus, vbi præſens procella minores excitat fluctus. eam colunt noſtri Sacerdotes duo. operæ fructus qui ſolet, atque interdum inſolens & admirabilis. Incolas vexare miris modis aſſuetas cacodęmon: nũc arma & vtenſilia ſurripit, nunc lapidibus inſectatur ædes, nunc fæminarum comas nec opinata ſubtilitate præcidit. Horum remedio alii Fotoques in dies religioſiùs colere, alii Chriſtianos arceſſere, quorum opera ſæpiſſimè fugatur aduerſarius. ea multis cauſa vt Chriſto accedant. Octogenarius infidelis amiſſo auditu animam agebat; caſu Chriſtianus inuiſit, ac morientem miſeratus properè conuento Patre, quęrit an baptizare poſſit. cum cautione, ac catechiſta remittitur. is penè deſperata re moribundum percunctatur an fieri Chriſtianus velit. tum verò ſenex diuinitus ac repentè auritus, quid quæreretur ignorare ſeſe ait: demum ſapienter inſtitutus initiatuſque paulò pòſt emoritur. Nobilem vi-

tum

rum morbo laborantem periculoso, ac neque id loci Euangelio credere volentem, nocturna perpulit visio. Cuiusdam nempe candidati, qui crucem serico filo purpureo subnexam ægrotanti porrigeret, suaderetque vt manu præhendens ad sese enitere-tur: Scandere iam sibi per quietem videbatur, cùm repentè euigilans sensit illico animum Christianæ religionis amore captũ; ac dein tota cum familia cælesti perfunctus lauacro, triduo pòst efflauit animam; dubitare deinceps vxor satin' saluus esset maritus; & verò curam nemini mortalium impertire. Cùm filiolus repentina totius oris mutatione velut ab se alienatus, Quid; inquit, ambigis Mater de Patris mei salute? in cælo vtiq; est. Sub hæc adeo luculenter de paradisi pulchritudine, deque Christi Domini passione, quæ vna esset ad veram salutem via, disseruit, vt qui aderant obstupescere ac similes attonitis esse viderẽtur; postea puer somno correptus indormiit, dein excitatum cum adstantes de iis quæ dixerat interrogassent, nihil se meminisse respondit, ampliusq; cæteros in fide confirmauit. Alius Christiani nominis inimicissimus,

cissimus, viso per somnium ingenti splendore sibi supra caput supernè delapso, ad Ecclesiam accessit. is, continẽtes vicini ædes corripiente incendio, pacatè desidebat, & vbi ad suas vidit pertingere, Virginis arrepta corona, Agnique cœlestis effigie, dat sese in genua precabundus. terruisse putares elementum: ita verò celeriter refugit, ac reflante vento domum reliquit intactam; Ethnicos attonitos. Senex triennium lectulo affixus sentiebat nihil, conspicatus spectrum sibi in aurem insusurrans, adhortansq; vt IESVM & MARIAM inuocaret, nihil ille minus quam illa nomina callebat: sed parta per Ethnicos notitia, euocato Catechista baptismum suscepit, ac paucis pòst diebus expirauit. Neophyti coniunx diuinitus solennes precãdi formulas edocta sacris mysteriis initiata est. Bõzius suopte magis ingenio, quàm necessitate furacissimus, hospites in morem Buziridis, compilandi grat a per fraudem enecare consueuerat. nec diu latere potuit immane scelus, quo patefacto, viuus in terram defoditur collo tenus: dein adhibitis custodiis mandatum à Tono, vt aliquid

edulii

edulii per ſingulos dies inſererẽt in os, pro-latandæ mortis conſiliũ id fuit, vt horrori eſſet. interea miſer ſenſim putreſcere atque innatis vermibus exedi miſerãdum in modum: fortè erant è cuſtodibus Chriſtiani nonnulli, quos pereuntis animæ, quam corporis maior miſericordia perculit. Ergo ſemel atque iterum Bonzio ſuadent vt Chriſto credat, & vltimam æternæ ſalutis occaſionem prçterfluere ne ſinat, principio irridere barbarus, animarum immortalitatem fabulam putare, omnia ex nihilo profecta eodem reditura dicere: ſed poſtea Chriſtianis vrgentibus, ac cœleſti altius penetrãte radio, & animum, & ſententiam mutauit. Dein Catechiſmo inſtitutus, quos antea ferebat ægerrimè cruciatus, incredibili patientia deuorare, inuocare IESV & MARIAE ſuauiſſima nomina. Quo in ſtudio magna cum ſua & bonorum conſolatione deceſſit. Hæc in Regno Oxu.

Deũa

Deüa regio.

INde præterea Missiones vltro, citroque susceptæ à Nostris per summa itineris, ac temporis incommoda. quippe necesse aliquando fuit montium iuga præaltis oppleta niuibus conscendere, ac sæpius fallente vestigio, gradum nonnumquam genibus, interdum manu iuuare; absumpti in ea difficultate dies sex. Itum & in duas toparchias Deüam & Izungaru, vbi è proscriptis Christianis agunt permulti. Deüa duas in Satrapias diuisa est, regio ferax, & opulenta. Nam præter alia cæteris communia Prouincijs, multas habet auri, atq; argenti fodinas, vnde Satachendonus alter è duobus Dynastis, missiles aureos, argenteosque nummulos, pondo aureorum centum populo spargere quotidie solet, præstandæ munificentiæ causa. Ab Oxu diuidunt editi in immensum continentes montes, adeo acclines & recti vt superari ascendique nisi à peditibus valeant, ac præterea bobus, qui in eam rem egregie mansuefacti ea dexteritate flexis

interdum genibus ſuperuadunt vt nullus metui, aut periculo ſit locus. expertus id è Noſtris alter Iunio vertẽte niuibus omnia latè cooperta offendit, adeo vt glacie non recipiente veſtigium ingredi neque ipſa poſſent iumenta. quibus ad extremũ relictis pedes ac gradibus nonnunquam ex ipſa niue factis euaſit. Mox varios in pagos & oppida diſcurſum eſt. Vnica erat in barbaro vico Chriſtianorum familia, quæ vt viſitari poſſet nouo vti commento neceſſe fuit. Metallorum foſſorem ſimulare noſter, Chriſtiano illi maxima neceſſitudine coniunctum cuius proinde hoſpitio excipiendus eſſet. ille ex antecondicto fictionem callidè perſequi, venire obuiam, inuitare ad hoſpitium, ſerere de metallis ſermonem, nulla denique tum ſimulationis, tum veræ caritatis officia prætermittere, & Pater iam in conclaue receptus Doiuco internuncio, eandem erga infideles ſuſtinere perſonam. Cæterum ijs remotis finitimos Chriſtianos de nocte confluentes ſacramentorum confirmare præſidio, prohibere diurnos concurſus vtpote periculoſos. ea duobus in locis Xem-

bocu

bocu & Achita ſeſquimenſem agere. Quo exacto aliam ſeſe vertit in faciem, vt leproſos in hoſpitali domo conueniret; hæc iuxta publicam viam poſita prætereuntiũ agmini patebat aſſiduè, quos vt falleret Pater, pellium quas diuendere leproſi ſolent, emptorem ex compoſito mentiri: dein cum veſtibulo appropinquaret, rogare dux ſublata voce, quo prętereuntes exaudirent, an paratæ pelles eſſent, de quibus inter eos nuper conuenerat. ijs annuentibus quaſi inſpecturis ingreditur & confitentes audit. Cubotè in oppido Achitenſi caſtrum Satachendonus habet, & ſecundam ab vxore concubinam, coniugi id in cauſa eſt ne ſacro fonte luſtretur. cętera Chriſtianis pridem erudita myſterijs, nulla non pietatis, ac deuotionis munia diligenter obire, precibus inſiſtere ante B. Virginis Imaginem; dies Dominicos, ac totius anni maximè feſtos celebrare conuiuijs quibus Chriſtianas tantum excipit ancillas: Infideles ad fidem hortari, miſſas à Bonzijs ſuperſtitioſas thecas in ignem demittere. vbi Patris aduentum reſciuit, interuentu ancillę Chriſtianæ,

datis ad eundem litteris quærebat, an hæc & alia deuotionis officia rectè, ac religiosè perageret. ſupplicabat etiam atq; etiam, vt errata corrigeret; paratam ſe vbi tranquillitas appeteret, templum ſuis ſumptibus ædificare, ac Noſtrum apud ſe habere Sacerdotem; colloquium vehementer expetere. Deniq; poſt varia, nec ſpernenda munuſcula, miſit ancillas fere duodecim, quæ audito Catechiſmo ad Eccleſiam aggregatæ ſunt: cum Domina colloqui minimè placuit, ob Chriſtianæ gentis periculum.

Izungaru, regio.

INterea dum hæc Noſter ageret Izungari exules Chriſtianos trium dierum itinere diſtantes per epiſtolam certos fecit aduentus ſui; ſed quoniam per oppoſitas cuſtodias nemini vel Tabellario eò penetrare licet, niſi prius reſignatis litteris, vt ſuſpecta explorentur omnia; ſcribere placuit mercatoris nomine, qui vulgaria mercium precia exquireret, tranſigendi cauſa. ſubſcripſit deinde eo chirographi genere

nere quod niſi à Chriſtianis dignoſci non poſſet. facile eo commento fruſtrati exploratores: & Chriſtiani litteris acceptis itineris Ducem deſtinauere tradita mediocri pecunia qua & merces Pater coëmere, & mercatoris habitu fallere cuſtodes poſſet. inde ſumptis nominibus ad officium accommodatis, ipſe Vata Canyemõ, Doiucus Itaya Chiſioye appellantur. ea ſimulatione ad primos Izungari aditus peruentum eſt: ibi dum cuſtodes omnia perſcrutantur exactè, Pater excuſando valetudinem, facultate accepta in diuerſorium ſeſe recepit. interea Doiucus portoria, hoc eſt decimas pendere, ſcripturæ magiſtris ad vnguem ſatisfacere, dum Noſter capiti ceruicalis inſtar ſuppoſito diuini officij breuiario pauliſper conquieſcit peracto negotio profecti, Tacoacam quod eſt Toui caſtellum atque exulum Chriſtianorum colonia breui tenuere, ac mox apud hoſpitem è Chriſtianis primarium commorari. Manare ſtatim fama veniſſe mercatores Achitenſes qui apud Antonium (id hoſpiti nomen) diuerſarentur. huius filios ſua ipſos opera peregrinas

merces diſtrahere. ita de induſtria cautū, ne barbari aſſiduè perſpecta aduenarum facie veri ſuſpicarentur aliquid, proinde ſi quis emptos velle ſe diceret, cum mercatoribus ipſis coram tranſigere: eorum ſtatim abſentia, aut alia quælibet effugia ſimulatè prætexebantur: His nimirum technis atque officijs dies duodeviginti ſumma cum Patris, tum Chriſtianorum conſolatione tranſacti ſunt. expiatis omnium criminibus, quidam ſemel, alij bis cæleſti conuiuio refocillati dein gratias ingentes Deo Domino agere, quod ſui curam adeò peramanter ſuſciperet, ſocietatem in cælum tollere vtpote quæ tanto molimine, tot artificijs, tanto ſuo cum labore, ac periculo, animarum ſalutem procuraret. Tandem Eleëmoſynis viritim diſtributis ad Achitenſium culturam reuertitur haud ſine ſtipendio vlcere videlicet ex immoderatis caloribus contracto.

Magdalena quædam pro caſtitate obtruncatur.

CLaudere iuuat epiſtolam præclaro martyrio. Octo abhinc aut nouem annis

annis Daifus, qui eo tempore rerum potiebatur Christianam fæminam nomine Otha Iuliam natione Coream religionis ergô Insulam Nigirimam relegauit; quo etiam prius infideles alias alia de causa exulatum miserat. ibi feminæ (vt ferè inter afflictos solet) amicitiam conglutinare; & Iulia duarum præsertim consuetudine vti perquam familiariter: quibus cum fidei mysteria sensim tradidisset, eo tum rationum momentis, tum vitæ exemplo perpulit, vt baptismum impendio cuperent, atque efflagitarent. Id verò pręstare Iulia non poterat ignara solennis formulæ. Cæterum quod in promptu erat Christiana imponit nomina Mariam alteram, alteram Magdalenam appellat; ac deinceps vti Christianę agere. Quibus ita constitutis mutuo seiungi coactę Iulia Cozuximam ad insulam, Maria Magdalenaq; ad vnam eandemque nomine Fachigio concedunt. Ibi Dynasta cùm Magdalenam perditè adamaret, solicitare pudicitiam cœpit: excusare religionem mulier, grande id apud Christianos piaculum ac nefas esse dicere. eâdem demum responsione

minas & blandimenta reijcere. quapropter barbarus, cùm res nequaquam è voluntate procederet præſciſis naribus, auribuſque obtruncare iuſſit, incertum quo die.

Hactenus Iaponia prouincia & ſuperioris anni res geſtæ. Propitiam V. P. benedictionem, nec non totius Europææ ſocietatis, communes ad Deum preces de genu efflagitamus. E Machaenſi portu Kal. Octob. anni 1620.

Ex commiſsione P. Viſitatoris

V. P. Filius indigniſsimus

Gaspar Lvdovicvs.

AD viros fortes commendandos qui ponunt ſe tanquam muros pro domo Dei, meritò hę literæ in publicum ſunt producendæ, vt Deus, qui glorioſus eſt in Sanctis ſuis, ab omnibus ſanæ mentis hominibus paſſim glorificetur. Quod cenſui 1. Mart. M. DC. XXV.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis Librorum Cenſor.